17

AUSPICE CHRISTO!

HISTORIAM ET CURATIONEM CALCULORUM HUMANORUM,

Conſenſu & indultu Gratioſæ Facultatis Medicæ in florentiſſimâ Academiâ Salanâ,

PRÆSIDE

DN. AUGUSTINO HENRICO FASCHIO, Med. Doctore celeberrimo, Anatomiæ, Chirurgiæ & Botanices Profeſſore Publico, & Archiatro Ducali Saxonico excellentiſſimo, h.t. Decano ſpectatiſſimo,

DN. PATRONO, PRÆCEPTORE atque PROMOTORE æternùm colendo,

publico philiatrorum examini ſiſtit

JOHANNES CAROLUS Heinlein/ Norimbergenſis, Medic. Candidatus,

In Auditorio Medicorum

ad diem Junij

horis conſvetis antemeridianis.

JENÆ,

Typis JOHANNIS NISI, ANNO MDC LXXVI.

Auspice Christo!

NOn vivere, ſed valere vitam eſſe, Medicorum aſſertio vera eſt. Optima quidem vulgò cenſetur vita eruditorum, quæ virtutes ſibi habet comites; has verò neutiquam ſufficere poſſe ad vitam, nemo affirmabit, niſi proſpera valetudo, blandiſſimum illud totius condimentum vitæ, ad nutum ipſis ſit præſtò. Hinc ſalus interioris hominis vita; vitæ verò ſalus valetudo ridens ſalutatur, & juxta Græcos: ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον ἀνδρὶ θνατῷ; quod Poëta vertit:

Pulchra valetudo regnô regalior omni eſt.

Cùm verò ponderamus, quantis caſibus omnia ſint obnoxia, nihilque tàm ſecuris radicibus innitatur, in quod violentia fatorum non ſæviat; deprehendimus quoque, humana ita comparata eſſe, quæ talem effugere neutiquam poſſunt. Conſideraturi enim virtuoſas hominum actiones, à fatorum turbine deprehendimus invectibiles, & quicquid anteà virtuoſum & lætum, jam luctuoſum & triſte obſervamus. Virtutes, quæ radiabant in actionibus ſuis, jam à cruciatibus obrutæ ſunt; quæ jucunda ſuppeditârunt conſilia, jam triſti turbantur fatô. Heroum fortitudo inermis eſt, eruditorum ſapientia vacillat, niſi corpus valeat rectè: ita omnium ore aſſeritur, nihil homini poſſe commodius, nihil jucundius utiliusque pariter contingere, quàm ſecundam valetudinis auram, ſine quâ mortalibus omnia exiſtunt infru-

ctuoſa, imò ipſamet vita, effato *Chriſtiani Langii, Prof. olim Lipſienſis excellentiſſimi, miſcell. cur. med. tit. 1.*

Hoc ipſum edocet triſte calculoſorum fatum, qui morbô afficiuntur, crudeliter lancinante, & actiones turbante, corpusque probè divexante. Congenitum quibusdam hoc fatum & individuus comes quorundam eſt CALCULUS, qui non hoſpitium, ſed potiùs domicilium habet, & poſſidet corpus humanum. Hinc vivam in corpore ſuô alere lapidicinam animantia, & humanam potiſſimùm ſortem gravisſimis calculi tormentis ita excruciari, ut moriendi ſolamen intolerabilis dolor quærat, tàm latè notum eſt, quàm quod latiſſimè.

Miſerabilis ſanè homo eſt, qui nephriticis excruciatur doloribus, filius amaritudinis & doloris. Miſereri ejusdem noſtrum jam ſubit animum, undè apud nos concluſimus, in àm atrocis hoſtis genium inquirere, indagare, naturam ejus ſcrutari, &, quibus mediis eidem ſuccurri poſſit, diſputationis locô proponere.

Sit ergò in nomine JESU CHRISTI, Archiatri tùm corporis, tùm animæ noſtræ diſſertationis hujus

CAPUT I,

nominalem calculi definitionem exhibens.

NE error, comes aliàs ambiguitatis perpetuus, propulſulet, monente *Scaligero exercit. 148. ſ. 4.* duo ad veritatem eruendam inveſtiganda occurrunt: *Res* nempè, & *nomina.*

Circa nomen CALCULI ETYMOLOGIA notanda venit. Vulgatum aliàs & vel pueris in triviô notum eſt CALCULI vocabulum, à *calce*, qui uſtus lapis calcarius eſt, deductum, hujusque diminutivum

diminutivum vi originationis audit. Uſus tamen dictioni huic multò ampliorem impoſuit ſignificationem, ut jam

HOMONYMUM evaſerit. Hinc calculus ſumitur I. *PROPRIE*, & quidem vel *generaliùs* pro cujuscunq; ſpeciei lapide mollis mediocris; vel *ſtrictiùs* in forô medicô, pro omni eô lapide in animalium corporibus repertô, ſive is ſecundùm, ſ. præter naturam in iisdem natus ſit; vel *ſtrictiſſimè* pro eô lapide, qui in corpore humanô generari, inibiquè dolores nullis ſæpè tormentis ſecundos, producere ſvevit, quô de in præſenti inſtitutô.

II. *IMPROPRIE* notat (1.) in ludô ſcachiæ, de quô *Salmaſius*, *inſtrumentum aleatorium*, ſive ſcrupos aut virunculos, ſive orbiculos illos pro luſu in aleâ. (2.) in foro JCtorum *rationem* ſive *computum* deſignat. (3.) *Suffragium* per metonym. ſigni, denotat; undè calculum ſuum addere, Beyfall geben/ à priſcorum ſuffragandi more, quo candidatorum nomina calculis inſcribere, inq; urnam conjicere ſolebant: qui plures obtinuit calculos, is munus auferebat. Item: *albô* notare calculô, *approbare*; *nigrô* verò notare lapillô, *improbare* denotat, unde juxta *Ovidium 15. metamorph.*

Mos erat antiquis, niveis atrisq; lapillis;
Hiſce notare reos, illis abſolvere culpâ.

SYNONYMIAM quod attinet, æquivalentia calculi nomina, (1.) *quædam citra partis affectæ mentionem* in uſu ſunt, qualia ſunt: *è lotiô lapis, lapilli, ludus humanus*; item *ſaburra, ſabulum, arenulæ, tophus.* Item *tartarus*; quem tamen impertinenter cum ♀ro comparâſſe *Helmontius* contra Paracelſum inſurgit, & eundem, aliàs compatrem ſuum, inſcitiæ idpropter arguit. *Ipſe* verò aliud, barbarum quidem, more ſuô effinxit, & ſubſtituit vocabulum DUELECH, eôq; calculorum materiam indicat. Porrò etiam (2.) *quædam nomina à parte affectâ* proveniunt ſpecialiora, undè calculus renum, cyſtidis biliariæ, veſicæ urinariæ &c.

Græcis λίθος audit: quæ quidem vox in genere omnem denotat lapidem; ſed in ſpecie calculum in certis animalium partibus concretum. Morbus verò ipſe, quem calculus hic producit, λιθίασις nominatur. Notandum hîc ex *Gorræi def. med. fol. 201.* circa λιθιάσεως vocabulum, quòd (1.) calculi generationem ſolummodò

in veſica denotet; non obſtante, quòd etiam in renibus generari poſſit. Nemo tamen, *inquit*, λιθιᾷν aut λιθιῶντας dixit, niſi eos, quibus in veſicâ eſt moleſtus □æ ſuppreſſionibus, veſicæ & imi ventris diſtentionibus, ardoribus □æ, & ſummis multisque doloribus. (2.) dicitur λιθίασις in exteriori palpebrarum parte morbus, in quô alba quædam & craſſa callis aut lapillis ſimilia apparent oculum pungentia.

Promiſcuè autem hodiè in ſcholis medicorum ſumi, & tàm de renum, quàm veſicæ calculo laborantibus dici λιθίασιν, λιθιάω & λιθιῶντας, in aprico eſt; imò & nobis jam licebit, omni calculo, quacunque in parte corporis noſtri concreſcat, tribuere.

Item νεφρῖτις, ἡ περὶ τοὺς νέφρους νόσος, *renum morbus*, qui à calculô oritur; nihil obſtante, quòd vox nephritidis etiam denotet σπόνδυλον πρῶτον *primam vertebram lumbarem*, penes quam dolor ille obſervatur propter renes adjacentes & calculo laborantes.

Germani nominant *vel* generaliter den Stein; vel ſpecialiùs additione ſubjecti, cui inhæret, den Lenden-Nieren-Blaſen-Lungen ꝛc. Stein. Aut cùm friabilis eſt calculus & ſabulo ſimilis, den Grieß/Kieß/Sand adpellitant.

Caput II

definitionem realem tradit.

Cortice feliciter fractô ad ipſius nuclei deguſtationem nos accingimus, quid calculus ſit, expoſituri.

Calculus Humanus *eſt ſubſtantia dura, modò compacta, modò ſabuli adinſtar diſperſa, totô genere præter naturam ab humore ſeu ſuccô alimentorum aſſumtorum & digeſtorum viſcidiori, terreſtri, ſalsô, coagulabili, originem ducens, & ex errore caloris innati in plerisque corporis partibus coagulata, affectus & ſymptomata varia crudelia producens.*

Genus conſtituit *ſubſtantia*, quæ nemini non poteſt eſſe nota; eamque αὐτοψία inſuper confirmat. *Durities* etiam iſtius ſubſtantiæ nota eſt, ſive in magnâ, ſive in parvâ mole ea ſit, quam habet com-

communem cum calculis macrocoſmi, qui molem *nonnunquam* habent ſatis amplam, e. g. ſilices, lapides calcarii & murarii &c. *nonnunquam* exiguas habent portiunculas, quales ſunt lapides rivulorum, ſabulum &c. *nonnunquam* pulveris in formâ viſitur, qualis arena. Qualemcunq; autem ex his habeat calculus macrocoſmicus molem, dura tamen erit ejus ſubſtantia. Sic res etiam ſeſe habet cum calculis microcoſmicis.

Differentia deſumta eſt, (1.) *reſpectu habitô ad corpus humanum*, in quô toto genere p. n. hæret, & ſedem habet ſuam, non obſtante, quòd calculus peregrinam planè à corpore noſtro habeat naturam, ſedi quoq; huic prorsùs extra naturæ ordinem deſtinetur, nec communi cum vicinis partibus nutrimentô fruatur, uti verruca, excreſcentiæ aliæ, ſextus digitus &c. Undè & tali ratione ex numerô morborum in numerô calculus planè excluditur.

(2.) *A materia* (α) *tum ratione ſubſtantiæ ſuæ*, quæ eſt humor craſſus, terreſtris, ſalſus, viſcidus, coagulabilis. *Craſſities* humoris manifeſta exin evadit, quia ſangvini intimiùs non permiſcetur, ſed in primis utplurimùm viis, quales ſunt renes & veſica, deponitur, muci adinſtar partes has vel partium ſive viarum harum parietes primùm obviſcat, & ſucceſſu temporis congeſtione ſufficiente factâ augmentum capit, magis ſpiſſeſcit & indureſcit tandem, eôdem ferè modô, quô ex mechanicis albumen ovi in lapideam conſiſtentiam, gemmas æmulantem, convertitur, & mucus dentium ſenſim tophaceam duritiem ſatis notabilem acquirit. *Terreſtris* eſt: omnis enim lapis, communi omnium Phyſicorum ſuffragio terram agnoſcit primigeniam matrem. *Salſus* eſt: ſalis præſentiam indicat ſubſtantia lapidis coagulata. Salia enim per ſe, ſicut ex chimicis conſtat, in glaciem, quam cryſtallos vocant, verti ſunt aptiſſima; imò per artificialem congelationem hoc demonſtrat *Williſius lib. d. ferment. c. 11. p. 95.* dum ⊖lia glaciei generationem etiam in ipſo hypocauſtô calidô extemporaneam inſigniter promovent. Hinc nullum ampliùs reſtat dubium de coagulatione, vel quòd ſit coagulabilis: (β.) *tùm ratione generationis & originis.* Hæc autem ſalia peregrina cum heterogeneis terreis potiſſimam partem ſunt quærenda in alimentis, quæ quidē fermētali ſtomachi calore evoluta & à vinculis extricata, poſtquàm per apertos vaſorum ductus ad renes deveniunt, anguſtū

eorum

eorum colum transire recuſant, undè parietibus interioribus ſenſim atq; ſenſim adhæreſcunt, quæ, niſi in tempore, neq; debitè removeantur, renes obſtruunt, & humiditate ſenſim abſumtâ indurantur, lapideſcuntq;. Hoc ipſum ad oculum quaſi demonſtrat fons, Principum dictus, non procul à pago Wölnitz, ad unius ferè horulæ ſpatium à noſtrâ JENA ſito, ubi cumprimis vernô æquinoctiali tempore brevi horarum ſpatiô, *tùm* quæ ipſe alluit, *tùm* ipſi injecta gramina, caules, ligna &c. primùm mucore, hinc tophaceâ cruſtâ obducit, quæ, ſi labor frequentetur, craſſitiem digiti adimplebit.

(3.) *A ſubjectô*: Hujus ferè omnes corporis noſtri partes vicem tenere queunt, de quibus ſpeciatim *cap. ſeq.* Inprimis verò illæ denominandæ veniunt, in quibus ſeroſa à maſsâ ſangvineâ laudabili & nutritivâ ſegregatur colluvies, ibidem enim talium excrementorum notabilis deprehenditur, obſervatur & colligitur ſaburra. Hujus ſeri ſecretioni renes, excretioni verò veſica □ria dicata ſunt viſcera, undè etiam hæc eò frequentius infeſtantur. Poſthæc *bilis veſicula* omninò nominanda, ob ſalis lixivioſi, ad coagulationem maximè apti nati & proclivis, abundantiam. Item *articuli*, utpotè à caloris fonte remotiſſimi & externis injuriis maximè & omnibus modis expoſiti.

(4.) *Ab efficiente*, quæ caloris nativi error eſſe poteſt. Hic enim *modò excedit*, ſerum blandum diluens abſumit, diſſipat, & ſic, ubi materiam accommodatam invenit, eandem indurare valens eſt: *modò deficit* ille, & ita coagulationem ſalium talium promovet, vel ad minimum non impedit; Conſtat enim ex chimicis laboribus, ſalia æq; in calidô, quàm frigidô abire in cryſtallos modò pellucidos, modò opacos. Hinc etiam eſt, quòd *bilioſi* raræq; texturæ homines, in quibus calor nativus volatilis quaſi & fugax præterit, nec aggreditur talem mucaginem, ut reſolvat: & *hypochondriaci*, in quibus idem ab humoribus viſcoſis implicatur, & vis ejus non mediocriter infringitur, calculo frequenter prehendantur.

(5.) *Ab effectu*, quem corpori præſtant, eôque infeliciſſimô: immanes enim, præſertim cùm jam indurata ejus moles augmētum ſumit, apiceſq; formare incipit, cruciatus, aliis tormentis vix ſecundos producit, undè & eleganter *Plinius l. 25. nat. hiſt. c. 3.* ſcribit: Licet, qui morbi ſint graviſſimi, diſcernere ſtultitia propè videri queat,

cùm



75


G
F
e
e
e
H
K
I
L
L


R
S
T
T

cùm ſuus cuiq; ad præſens atrociſſimus videatur: nihilominùs & de hôc tamen judicâſſe antiquos experimentô, videlicet: *aſperrimos eſſe calculorum* à ſtillicidiô veſicæ; proximum ſtomachi; tertium eorum, qui in capite doleant, non ob alios ferè morte conſcitâ.

CAPUT III

Subjectum calculi inquirit.

Selectiorum autorum experientiam, rerum omnium fallere neſciam magiſtram, ductorumq; firmum & conſtans ſuffragium ponderantes, calculorum microcoſmicorum natalem locum deprehendimus admodùm varium, & alium quidem frequentiorem, alium rariorem. Frequentiùs renes & veſicam urinariam hôc malô infeſtari, certum eſt & notô notius; non item verò reliquas corporis partes, licet vix aliqua detur in corpore pars, quæ planè immunis eſſe poſſit ab hujus invaſione.

Mutuum renum & veſicæ, internuntiis ureteribus, commercium & confine officium eſt, colluviei ſeroſæ, ⊖linarum ex alimentorum digeſtione, & in ſuccum & ſangvinem converſione reſiduarum particularum vehiculi, cui nonnunquam pro corporis & aſſumtorum qualitate aut conſtitutione plus minus terrei aut tartarei permixtum eſt, colatorium eſſe & receptaculum, ad quod, tanquam ad ſentinam, ſerum, quicquid ſaburræ rapere poteſt, per vias prædictas □narias ſecum deducit; undè accidit, ut uſui huic dicatæ partes calculorum ludibrio atq; periculo ſummo creberrimè exponantur. Et præcipuè quidem, *ſi* ⊖lia iſta peregrina ad coagulationem prona & ita craſſa ſint, renumq; colatorium ſ. pelvim tranſire reſiſtant, talem in iiſdem fieri ſabuli congeſtionem, neceſſe eſt, quæ eò magis promovetur, ſi ureterum anguſtia accedat, in quam ipſum nonnunquam malum redundat. Sin plure ſerô diluta ⊖lia prædicta, renesq; & ureteres ſint laxiores, in veſicam ducuntur, quæ ibidem ſtagnantia facilè coagulari poſſunt, muciq; induratio hôc modô fieri.

Singularior quidem, rarior, & ſtuporis ſæpè plena eſt calculoſa

in aliis corporis partibus,ad quas ſangvis à ſerô inutili aliquatenùs repurgatus, & vix petrificô tali humore ſcatens beneficiô circulationis pervenit, progenies: intellectum verò humanum ferè omnem excedere videntur integrorum hominum petrefactiones. Singula hæcce jam in exemplis delibandi commodior & jucundior datur occaſio.

Integrorum hominum petrefactiones memorant hiſtoriæ tàm *ſacræ*, quàm *profanæ*. *E ſacris* nota eſt uxoris LOTHI, quantaquanta erat, in ſtatuā ſalinam momentanea converſio divina, *Geneſ. XIX.* legenda. *E profanis* proſtat relatio hiſtorica *lithopædii* ſive *embryonis petrefacti* urbis Senonenſis, Gallis *Sens* dictæ, à *Cordæô* deſcripta, cujus mentio qſ. ὡς ἐν παρόδῳ ad calcem *tract. Franciſci Rouſſeti de partu Cæſareo* appendicis locô adnexa eſt. Similis ferè *Muſſiponti* accidiſſe caſus fertur, cujus hiſtoriam unà cum latis ſuper eâ quorundam doctrinæ laude celeberrimorum in Germaniâ virorum judiciis luci dedit *Nobiliſſ. Dn. D. Laurentius Strauſſius, Gieſſenſium Profeſſor Medicus excellentiſſimus.*

Liceat hùc referre *ſudorem arenarium*, quô non infrequenter ſcorbutici vexati,& arenâ qſ. incruſtati fuêre. Talem, ut ex plurimis paucos nominem, *Bartholinus cent.1. hiſtor.anat. rar.34. & J. D. Horſtius manud. ad med.part. 1. c. 2. ſect. 2. art. 1. p. 177.* obſervarunt & adnotârunt.

IN SUPREMO VENTRE, capite nimirùm, cranio & cerebro natos & repertos calculos,

(1.) Generaliter teſtantur *Braſſavola, comm. ad aphor. 29. l. 4. Hipp. Thomas à Vega, Petrus Borellus, Unzerus lib. 1. de nephritide*,& alii à *B. Sennerto inſtit. l. 2. part. 2. c. 9.* citati, quos repetere hîc ſuperſedebimus.

(2.) *Subſuturâ lambdoideâ* lapidem membranâ veſtitum piæ duræq; matri firmiter adhærentem invenit *Guilh. Fabricius exercit. 1. obſerv. chir. 2.* Hûc ſpectare videntur oſſicula duræ piæq; matri adnata reperta, *& à B. Rolf. diſſert. anat. lib. 2. cap. 21.* allegata. Similia in publicis diſſectionibus tribus vicibus invenit nobisque demonſtravit *Exc. Dn. D. Præſes, Dn. Patronus ac Promotor meus æternùm devenerandus*; figuram autem horum curioſo lectori *Lit. P. P. P.* delineatam oſtendit; & quidem (P. *α.*) meningi duræ

æquè


A.1
C
E
A.2
D
B

æquè ac piæ anteriori in parte propè ſuturam coronalem dextri lateris adnatum in juvene milite deprehenſum fuit oſſiculum protuberantiâ quâdam ornatum, quæ capitulum pulli gallinacei cum cryſtâ eleganter exprimit. (*P.β.*) & (*P.γ.*) expreſſa oſſicula ſequiori in ſexu reperta, quorum illud variis qſ. ex filamentis contextum & mirè contortum; hoc verò quaſi ex duobus piſis conflatum, pendens grana octo.

(3.) Ipſum nec *cerebrum* à durô hôc hoſpite immune fuiſſe, teſtatur *Sennertus* & ab ipſo allegati *alii Autores*; Item *Schenckius lib. 1. obſerv. 81.* Totum bovis cerebrum petrefactum deſcriptum vide apud *Barthol. cent. 3. epiſt. 8.* & *Ephem. Germ. ann. 1. obſerv. 26.*

(4.) *In plexu* χοροειδεῖ calculos repertos teſtatur *Wepferus.*

(5.) *In glandulâ pineali* arenulas invenit *Olaus Borrichius cent. 3. epiſt. Barth. 97.* *Idem* & *tres lapillos* ibidem reperit, teſtante ſic *cent. 3. epiſt. Barth. 85.* Calculum & arenulas deprehendit *Franc. Sylvius, Leidæ, citante Bartholino cent. 4. ep. 57.* Sic non ita pridem *Exc. D. D. Præſes*, cùm in pagô vicinô, Cunitz dictô, aperiret caput juvenis verberibus probè vexati & brevi pòſt defuncti, inter alia notatu digniſſima ibidem in glandulâ pineali *tres lapillos* obſervabat, quos excmtos & mundatos coronæ philiatrorum, quâ cinctus tùm erat, videndos & palpandos exhibebat. Magnitudo ferè eorundem æqualis erat, accedens ad ſeminis plantaginis amplitudinem. Color albicans, ſubſtantia dura, & ſuperficies aſpera. Similes & alii Medici viderunt & adnotarunt.

(6.) *In orâ palpebræ*, ubi hordeolorum collectiones fiunt, vidit eximendumq; curavit lapillum *Scaliger*, totum tritico ſimilem, duritie ſaltim ſuperiorem. *Vid. Geſn. de figur. lap. c. 12.*

(7. *E naribus* calculos prodiiſſe dactylos referentes memorat *Barthol. hiſtor. anat. rar. cent. 1. hiſtor. 33.*

(8.) Idem *Barthol. act. Haffn. 1671. 1672. obſerv. 45.* cum cerumine arenulas ſimul extractas *ex auribus* notavit.

(9.) *E maxillâ* nobilis mulieris Danicæ *ſuperiori ſiniſtra* lapillum nucem minorem æquantem prodiiſſe, refert *Barthol. cent. 5. hiſt. anat. 91.* & in *maxillæ baſi* vidit *Borellus cent. 2. obſ. 17.* Memorabile verò eſt, quod *B. Mœbius in fundam. phyſiol. c. 9. p. 121.* adducit, ubi *Zacutus* in quinquagenariâ lapidem maxillæ lævæ ad-

natum vidit, ſæviſſimos cruciatus inducentem, qui ope chirurgi ſolutus ad ſtateram binas uncias cum quinq; drachmis pependit.

(10.) *Dentibus* adnaſci materiam tophaceam calculoſam, quivis ferè ſuus ipſe erit αὐτόπτης.

(11.) *E lingvâ* cujusdam calculum proſilientem oſſiq; dactylorum reſpondentem notavit *Greg. Horſtius l. 4. obſerv. med. 47.* Item *ſub lingvâ* binos calculos ſe obſervâſſe ſcribit *Hieron. Montuus l. 4. c. 1. anaſc.* Similia exempla notata ſunt à *Tulpio obſ. med. l. 2. c. 25. Foreſt. l. 24. obſ. 18. in ſchol. Balth. Timæo à Guldenklee l. 1. caſ. med. obſerv. 35. Ephemerid. Germ. ann. 3. obſ. 1.* ubi dilucidata hæc materia proponitur.

(12.) *In palato* natos calculos teſtatur *Cœcilius Folius in epiſt. Barth. cent. 1. ep. 62.*

(13.) *In tonſillis & faucibus* calculos notaverunt, à *B. Sennertô l. c.* adlegati *Autores*, hîc non repetendi.

Nec minùs VENTRIS MEDII partes durô hôc fatô ſæpiuſculè affectæ & preſſæ deprehenſæ ſunt, & quidem

(1.) *In gutture* calculos obſervatos refert *Avicenna l. 3. fen 9. c. 9.*

(2.) *in humeri tumore* calculos reperit *Borellus cent. 1. obſ. 87.*

(3.) *in pulmonibus* non adeò rari ſunt. Præter autores à B. Sennertô allegatos talium mentionem faciunt *Platerus l. 1. obſerv. Guilh. Fabric. exerc. 2. chir. 29. Wierus de præſtigiis dæmon. l. 3. c. 2. Scaliger exercit. 118. Fernel. l. 5. pathol. c. 10. Æginet. l. 3. c. 31. Geſnerus de fig. lap. part. 1. c. 12. Langius l. 2. ep. 57. Zacutus Luſitanus l. 1. pr. adm. obſ. 95. 96. Bartholinus cent. 3. epiſt. 80. B. Rolfincius, Præceptor deſideratiſſimus*, in pulmonibus uxoris Paſtoris in Gretzſchen/ invenit X. calculos ſatis notabiles, quos olim mihi videndos præbebat; jam verò adhuc in ejus raritheciô aſſervantur. *Nobiliſſ. D. D. Præſes* in diſſectis cadaveribus pluribus vicibus invenit grandines tophaceas parenchymati pulmonum inhærentes. Et quidem duos ſatis notabiles *Lit. O. O.* delineatos lapillos, quadrangulares & lateraliter qſ. excavatos vidimus ſtudioſi, gladiô antehàc miſerè transfixi pulmonibus infixos, ex parte albidos, ex parte etiam nigricantes. Imò, non ita pridem in pagô Löberſchütz dùm aperiret ruſtici aſthmatici cadaver, totus pulmo dexter pleuræ, media-

ſtino & diaphragmati firmiſſimè adnatus erat, cujus bronchia tophaceô ♀ro obviſcata planè cum ſtupore adſtantium philiatrorum videbantur. Nonnunquam integri lapilluli à *phthiſicis* per tuſſim rejiciuntur, quales collegit varios *D.D.Præſes*, albidos, duros, rotundos, aſperos. Notatu etiam digniſſima eſt *XVI.anni III.* obſervatio *Nobiliſſ. & Excellentiſſ. Dn.D. Wedelii, Profeſſoris & Præceptoris mei pl.obſervandi*, quam *Ephemeridibus German.Acad. curioſ.* inſeruit, ubi calculi pulmonum à calce vivâ originem traxêre, qui poſtmodùm cum tuſſi & levi hæmoptyſi rejecti ſunt.

Tophos quoque tales alere interdum bruta, boves, & alia armenta, non ſolum *Nob. D. D. Schneiderus l.3. de catarrhis*; ſed etiam *Ephemerid. Germ. ann. 6. & 7. obſ. 132.* confirmant, prolixumq; de illis adpoſuerunt ſcholion, *p. 176.*

(4.) Neque ipſum *cor* exemtum eſſe à lapillorum invaſione, teſtantur hiſtoriæ. Sic in corde Imperatoris, Maximiliani II. tres lapides inventos refert *Wierus de præſtig. dæmon. l. 4. c. 6.* Talium etiam mentionem facit *Barth. anat. renov. cap. de corde.* In hujus *Ventriculis* lapillos inventos perhibet *Tulpius l. 4. obſerv. 47.* Dextri ventriculi valvulis adnatum καρδιαλγίας autorem *Horſtius, Senior l. 4. obſ. 47.* notavit. Ponderoſiorem lapidem in corde cervinô repertum adlegat *Barth. cent. 3. ep. 8.*

(5.) *In arteriis* calculum *Tulpius* inveniſſe gloriatur, & ſeſe exceptô, neminem adhuc. Curioſitas *Chriſtiani Langii*, Profeſſoris medici, dùm viveret, excellentiſſimi, ſimiles invenit, tàm in arteriâ pulmonum venosâ, quàm venâ arteriosâ, dùm publicè olitoris cadaver diſſecuiſſet, partim ſolidè induratos, partim adhùc aſperâ ſcabritudine, & qſ. ♀riſatos lapillos, quos cum admiratione ſpectatorum omnium demonſtravit. Vid. *miſcell. medic. curioſ. ejusdem, p. 32.*

(6.) *Propè Arteriæ aortæ* ſive *magnæ truncum* ex cordis ſiniſtrô thalamô prodeuntem & deſcendentem ſacculus ſ. *capſula* membranacea lapillis tophaceis majoribus & minoribus referta, *Lit. N.* delineata, inventa eſt, exteriori membranæ adhærens, in ſtudiosô juvene, nocturnis horis interfectô, ab *Exc. D. D. Præſide*, præſentibus ultra centum ſtudioſis, qui ſtupendam in admirationem eapropter tracti ſunt.

(7.) *Mammam muliebrem* ab aquis thermalibus in ſaxum converſam

converſam *Heurnius αὐτόπτης meth.ad prax.p. m.29.* teſtatur. Geminum ferè adducit *Salmuth. cent. 2. obſ. 8.* Quin *lac muliebre*, ubi non emungitur, in mammillis lapideſcere, aſſerit *Levin.Lemnius de occult. nat. mirac. l. 4. cap.12. ſub finem.*

INFIMI VENTRIS nullum ferè viſcus eſt, quod ab hâc lapidosâ progenie planè & ſemper liberum fuerit inventum. Et ut ordine eorundem faciamus mentionem,

(1.) *In hepatis parenchymate* calculos repertos fuiſſe, autorum teſtantur monumenta. Ut ſilentio iterùm prætereamus *Autores à B. Sennertô citatos*, memorabilis eſt obſervatio *B.Mœbii, fund. phyſiolog. c. 14.* ſub finem, conſignata de lapillis teſſerarum æmulis, marmoris inſtar variegatis: nec non *Barth. cent. 4. hiſt. anat. 64.* qui à *ſuſpenſorio hepatis* duos tumores ſaxeos dependentes, alterum 16. alterum 12. pondo librantes, offendit. Conf. & *Geſnerus lib.d.lap. fig. c.12. Henr. ab Heer, obſ. 1. Matthioli epiſtol. p.323. 324.* it. *Ephem. Germ. ann. 1. obſ. 66.* Imò *Veſalius epiſt. de radice Chinæ*, jecoris anticam partem & univerſam ſiniſtram planè lapidefactam obſervavit.

(2.) *In cyſtide felleâ* frequentiùs inventos lapides notârunt Autores, dubio procul è bilis parte craſſiori, ſale lixivô, quô ipſa jam antè abundat, nimis copioſô obſtetricante prognatos. Ejusmodi binos colore cœruleô, quorum alter ovum columbinum æquabat, in famulo Jul. Cæſ. Borii reperit *Volcherus Coiter, Phyſicus olim Norimberg. celeberrimus*, conſignavitq; *in obſ. anat. & chirurg.* De ſimilibus legi poſſunt *Autores à Sennertô citati, Ephem. Germ. ann. 1. obſ. 44.* Item *ann. 3. obſ. 206. & 283.* hisq; addenda ex *ann. 4. & 5. p. 302. 303. Horſtius man. ad med. p. 1. c. 1. ſect. 3. Olaus Borrichius epiſt. ad Barth. 85. cent. 3.* & *epiſt. 86.* ubi calculorum felleorum naturam & cauſam indagat. Plura de his proſtant *in phyſiol. Mœbii, cap. 15.* *B. Rolfincius* anno 1637. Vinariæ in fœminæ cujusdam cyſtide biliariâ lapides ultrà 30. invenit, globulos luſorios imitantes, majores, minores, inæquales, tenui cruſtâ obductos, intùs ſpongioſos, ▽æ innatantes, ſicut ex analectis *Dn. D. Præſidis* nobis conſtat. Inſimul notatu & delineatu digni ſunt viſi, quos nobis *Lit. M.* oſtendit, in veſiculâ biliariâ nobilis Matronæ reperti quinq; lapides rotundi, aſperi, & qſ. ex minoribus compacti, qui notabilem

parvu-

parvulorum copiam habuerunt ſociam. *Ex felle taurinô* concretum lapidem & in ſelleâ veſiculâ repertum, ovi gallinacei magnitudine, oſtendit nobis *rarithecium Beslerianum Norimbergenſe.* Item, ad ℥j pendentem ejusdem conditionis calculum, viſcoſô & tenace bilioſô glutine obductum vidimus apud *Dn. D. Præſidem.*

(3.) *In ductu hepaticô* deſcendentes calculi ſubſiſtere ſæpè ſolent, & malum augere. Talem per omnia ferè nuci moſchatæ ſimilem invenit in quâdam fœminâ, nobisq; miſit *Dn. D. Zapfius, Phyſ. Vinarienſ. feliciſſimus, Fautor noſter colendus*, cujus medium intus eleganter reſplendebat.

(4.) In *Umbilico* calculos ſe vidiſſe teſtatur *Cæcilius Folius ad Barth. cent. 1. epiſt. 62.* Videri etiam poteſt *Sennertus lib. cit.*

(5.) In *Ventriculo* notatos lapides collegerunt *Schenckius l. 2. obſ. 9. Horſtius l. c. Geſnerus l. c. Ephemerid. German. l. c. Barthol. cent. 3 epiſt. 8. p 37.*

(6.) In *Liene* fœminæ cujusdam lapidem ſubalbidum alabaſtrinæ mollitiei, pondere ʒxxj. invenit *Turneiſerus.* In ſimilibus conſuli poſſunt *Mœbius c. l. c. 16.* & *Riverius obſerv. à Rufô commun. 6. Totum lapidefactum Lienem* vide ap. *Foreſtum l. 2. de incerto* □*æ judicio.*

(7.) In *Meſenterio* hinc indè hærentes calculos recenſent *Autores à Sennertô citati.*

(8.) In *inteſtinis* anguloſos ſæpè & aſperos hoſpitari lapillos, in propatulô eſt. *Rolfincius* ὁ πάνυ ſexangularem nucis adinſtar caſtaneæ ex inteſtinis à fœminâ quâdam excretum cum XXIII. minoribus olim nobis demonſtravit. Ita Generoſus quidam Dominus, cujus nomen lubens reticeo, poſt tormina alvi contumacia & vomitum unum atq; alterum tandem cum ſcybalis ab aſſumtô pharmacô liquidioribus rejecit lapidem quadantenus anguloſum, caſtaneæ magnitudine, ex nigredine flaveſcentem, exacteq; durum, à *D. D. Præſide* mihi demonſtratum. Paria recenſent *Heurnius ad Barth. cent. 3. epiſt. 59. Geſnerus l. c. cap. 12. p. 1. Henr. Rufus in obſ. Riv. comm. 4. Th. Barth. hiſt. anat. 49. centur. 4. & act. Haffn. 1671. 1672. obſ. 100. D. Joh. Ferd. Hertodt* ab ictericâ Ducisſâ ultrà centum excretos notavit lapillos, quos publico communicavit in *Ephem. German. obſ. 99. an. 4. & 5. p. 102. 103.*

(9.) *Renes*

(9.) *Renes* verò hâc lapidosâ progenie frequentiſſimè infe-ſtari & occupari, quotidiana, triſtis licet! edocet experientia, ſiquidem vel totâ die tyrannô hôc obſeſſi medicam implorant opem, undè per exempla ex Practicorum libris probare ſuperſedebimus. Afficiuntur autem renes, modò dexter, modò ſiniſter, modò uterq; ſimul, & quidem vel interdum quoad ſubſtantiam parenchymaticam, è quâ formati conſtant; vel interdùm quoad partem interiorem, pelvim ſ. cavitatem ſuam; vel deniq; interdum quoad utramq;. Et rem ſeſe ita habere, confirmatur ex analyſi renum anatomicâ, præcipuè eorum, qui lapide adhuc obſeſſi ſunt, ubi ſæpiùs vidimus, radicibus ſuis calculos ipſi ſubſtantiæ parenchymaticæ ſimul fuiſſe infixos; anteriori verò parte impleviſſe cavitatem circa caruncula papillares, verſus pelvim directâ. Undè à motu calculi firmiùs inhærentis facilè fieri poteſt læſio parenchymatis, quâ factâ, urina non raro exit cum calculis cruenta.

Exitum calculorum pelvis promovet, quæ nonnunquam ſatis anguſta conatum naturæ expultricis eludit, facitq; calculum, præcipuè grandiorem, ibidem ſubſiſtere, undè ægrotantes doloribus continuis enervati, & non raro ſtupore oppreſſi lentâ reſolutione virium accedente naturæ debitum ſolvere coguntur.

Figura calculorum renalium variat. Longos & aſperos, rotundos, majores, & minores *Sereniſſima noſtra Duciſſa, MARIA &c.* aliquot vicibus nephriticis tentata inſultibus, dimiſit cum dolore lapillos, quos *Lit. K.* deſignat, angulosos, orbiculares, aſperos. Varios etiam ex aliis ſubjectis, triangulares, quadrangulares; imò amygdalum ipſum repræſentantes collegit *D. D. Præſes.*

Ex canis venatorii rene ſiniſtrô calculus exemtus tophaceus, angulosus, magnus, ℥j & ultrà pendens ſub *Lit. H.* videri poteſt.

Memoratione etiam hîc digni ſunt renes gallinarum ſpurii, qui eôdem infecti morbo deprehenſi ſunt. Inter comedendum enim renibus prædictis duo ſatis ſpectabilis longitudinis calculi inventi ſunt, dentibus noſtris vim necopinatò inferentes, in medio protuberantiis exilibus notati, ramulos coralliorum rubrorum oſtendentes, qui ut rariores, *Lit. LL.* conſignati ſunt.

(10.) His adnati *ureteres* eidem malo ſunt expoſiti. Siquidem in pelvim protruſi calculi per ureteres tendere incipiunt, qui

cùm

cùm fuerint anguſtiores, ſymptomata, & dolorem præcipuè, augent, eosdem tendendo, dilatando, lancinando, usque dùm in veſicam deciderunt. Si verò calculi fuerint majores, anguloſi, aſperi, ut transire nequeant, tubulis hiſce infarcti, eosdem obſtruunt, &, quò diutiùs duraverit obſtructio, eò periculoſiora, imò lethalia inducit ſymptomata. Tali mortis genere diem ſuum obiit *Dn. Andreas Wigandus*, *S. Theol. Licentiatus*, in cujus renibus, poſt mortem apertis, varii calculi reperti ſunt. Et quidem dexter circa caruncùlas papillares ſcabritie quâdam lapidosâ cinctus deprehendebatur, in cujus pelvi calculus notabilis, acumine ſuô, quod arroſum aliquantiſper ureteri tenaciter inſertū hærebat; mediâ verò parte implebat pelvim, & quatuor ſuis protuberantiis versûs caruncùlas papillares & harum ſinus directus erat. Integri calculi icon æri inſcripta ſub *Lit. R.* videri poteſt. In ſiniſtrô verò rene *Lit. S.* delineatus lapillus hærebat ureteri ejusdem circa medium ferè infixus, aſper & oblongus; reliqui duo *Lit. T. T.* adhùc in pelvis cavitate ſedebant, qui amplâ arenoſi ſabuli coronâ erant ſtipati.

Simili mortis genere propter calculum firmiter infixum obierunt, (1.) nobilis quædam matrona, cujus ren dexter aluit calculum *Lit. E.* ſatis notabilem tàm magnitudine, quàm figurâ ſuâ, qui comites habuit duos minores rotundiores *lit. ee.* deſcriptos. Renem verò ſiniſtrum occupavit *Lit. F.* cum ſuis ſociis variis & multis. (2.) Mercator quidam, in cujus rene dextrô *Lit. I.* deſignatus fuit repertus calculus. (3.) In rarithecio Electorali Dreſdenſi cùm oculis noſtris nuperiùs demonſtratus fuerit calculus humanus, membrum virile penè referens, non potuimus, quin ejusdem figuram ſub *Lit. G.* depictam, curioſo Lectori ſimul offerremus.

Tacemus jam libenter calculum iſtum inſolentioris figuræ, magnitudinis ac molis, qui mortem attulit Viro, etiam poſt fata, famigeratiſſimo, *Sperlingio*, Profeſſori Wittebergenſi celeberrimo, cùm integra hiſtoria à Nob. D. D. Majore edita, omnibus ſit nota.

(II.) *In veſicâ urinariâ* natorum calculorum quivis ferè medicorum facit mentionem. Neq; opus jam erit, varia producere exempla. Locô omnium eſſe poteſt canis aulæ noſtræ venatorius, qui per integrum annum dyſuriâ laboravit, nihilominùs ſedulò Ve-

 neri

neri litavit. Contumaciter autem ſæviente in ipſum dyſuriâ, cùm ⊡nam reddere voluit, maximô cum ejulatu expreſſit guttam unam vel alteram ⊡æ, cruore tinctæ. Unde de calculô certi cultello tradidimus, & examine inſtitutô veſicæ ⊡nariæ & renum, ubiq; calculum deprehendimus. Et quidem, qui in rene dextrô fuit, *præced. §. 9.* ſub *Lit. H.* delineatus eſt; in veſicâ urinariâ repertus integer videre eſt quoad ſuperiorem partem *ſub Lit. A.* inferiorem autem *Lit. B.* exprimit. Hic integer pependit libram integram civilem cum ℥vj. Figurâ ſuâ ipſam ferè cavitatem veſicæ exprimit, exterior facies ex plurimis quaſi monticulis exaſperata, ſubſtantia tophacea. Cum verò poſt intervallum aliquot dierum, exſpiratâ humiditate, iterùm examinaretur calculus, & hinc indè motus, ineſſe ipſi fœtum, ſicuti in aëtite, obſervavimus. Hinc curioſitate ducti, ſubtilioris ſerræ ope diviſimus ipſum, & calculi fœtum *Lit. E.* delineatum deprehendimus, albicantem, ovalem, in mediô quadantenùs depreſſum vel latum, ℥iij. jam exactè pendentem. Ut cunabula hujus fœtus pateſiant, ipſum calculum diviſum *Lit. C. & D.* exprimendum curavimus, curioſoq; Lectori propoſuimus.

Neq; ſilentii ſipario obvelandus erit ille calculus, qui virgini XVI. annorum, miniſtri aulici h. l. filiæ, imperavit, lethumq; adduxit. Ex mortuæ veſicâ ⊡ariâ, in gynæceô aulico pronuper apertâ eductus pependit ferè ℥iij.

Inſimul addendus erat calculus veſicæ *ab Avô, D. D. SEBAST. HEINLEIN, Phyſicô Norimbergenſi Seniori famigeratiſſimô, b. m.* conſiliis ſalutaribus è fœminâ propulſus. Iconem exhibet *Lit. A. 2.* ovum columbinum referentem.

Quivis etiam Bibliothecam Norimbergenſem viſitans, obſtupuit ob adſpectum calculi ſtupendi, (qui ibidem aſſervatur,) poſt mortem exciſi è veſicâ *Theologi celeberrimi, D. JOHANNIS SAUBERTI, Antiſtitis Eccl. olim primarii.* Pendet enim is civil. pond. ℥x. figura piri volemi ſimilis eſt. Hujus iconiſmi, participes fieri hâc vice non potuimus. Eapropter curioſum lectorem ad *D. D. Velſchii obſ. med. epiſagm. 61. p. 37.* remittimus.

(12.) Quemadmodum calculus veſicæ impedit, quò minùs ⊡a fluere poſſit, orificium ejus obturando; ita veſicæ vicinis partibus lapides inhæſiſſe prædictoq; orificio moleſtos fuiſſe, obſervati-

ones.

ones medicæ teſtantur. *In poro proſtatæ dextri* natum calculum vidit *D. Segerus*, juxta *Barth. cent. 4. epiſt. 5. p. 23. 26.*

(13.) Similiter *in corpore glanduloſô*, veſicæ adnatô, à ſemine retentô genitum calculum, veſicæ orificium comprimentem, vidit *Rhodius cent. 3. obſ. 27.*

(14.) Neq; rarum eſt *in urethrâ* ſeu *meatu urinariô* deprehendi lapides, vel medicamentorum, vel naturæ ab onere, libertatis cupidæ, vel utriusq; ſimul ope illùc propulſos: qualia exempla varia proſtant apud Autores, & crebrior experientia nos edocuit. *In urethrâ* autem ipsâ *geniti* mentionem facit *Barthol. cent. 4. epiſt. 6.*

(15.) In *pene* natorum lapillorum hiſtorias afferunt, præter Autores *à B. Sennertô* allegatos, *Henr. ab Heer. obſ. 7.* & *D. Winclerus in ephemerid. Germ. ann. 6. & 7. obſ. 34. 36.*

(16.) *Scroti* unam partem calculum cum ipsâ veſicâ implevisſe, alteram verò inteſtina tenuia, autopta fuit *Angelus Sala*, referente *Barth. cent. 4. hiſt. anat. 28.* qui etiam exemplum calculi è veſicâ in ſcrotum delapſi addit *cent. cit. hiſt. 8.*

(17.) *Teſticulos* non immunes fuiſſe à calculosâ progenie, autoritas *Geſneri* docet, qui *de fig. lap. c. 12.* in cujusdam cadaveris teſticulis Monſpelii repertos fuisſe calculos narrat. Videri poteſt etiam *Platerus l. 3. obſerv.* citante *Barth. cent. 4. epiſt. 6.*

(18.) Multò minùs libera eſt communis noſtra patria, *uterus*, cui Gorgonea facies locô fœtus impresſa ſæpiuſculè obſervata fuit: Sic uterum lapideum ℔vii. pendentem, fœminam 37. annorum geſtasſe, memoriæ noſtræ reliquit *Claudius à S. Mauritio, Academiæ Dolanæ quond. Profesſor primarius.*

Porrò lapidem iv. ℔. pendentem multis eminentiis, coloreq; fuſcô conſpicuum, in fœminæ hydropicæ ex uterô repertum tradit *Barth. cent. 4. hiſt. anat. 64.* Item: calculum aſperum, fuſi verticilli magnitudine ex largiore porri eſu, ex fœminæ ſexagenariæ, antehac ſterilis, uterô, notavit Gyneciorum Compilator *tom. 4. l. 2. c. 27. de uter. calc.* Similia conſignârunt *B. D. D. Mœbius fund. Phyſiolog. Barthol. cent. 3. epiſt. 28. & ſeqq.* Quibus etiam exemplum *molæ*, cui adnatus deprehenſus fuit calculus, uncias tres, unamq; drachmam ponderans, è *Nic. Fontani obſ. rar. c. 5.* addit.

Denique mentio addenda venit illorum lapillorum, qui vel in artubus, vel in vaſis ſanguifluis reperti unquàm, & partim ab aliis adnotati, partim propriâ experientiâ obſervati fuére.

(1.) In *artubus* non minùs frequentèr repertam eſſe duritiem ſaxeam, fide digniſſimi memorant ſcriptores, & quidem *digitorum in manibus apices Kentmannus lib. d. calc. c. 12.* duritie lapideâ obſeſſos notavit.

(2.) In *rotulâ genu Henr. Rufus obſ. Riverio communic. 5.* in nephriticô, quoties commoveretur genu, ſtrepitum edentes circa patellam obſervavit calculos.

(3.) In & circà *articulorum juncturas* creberrimè tophaceum naſci gypſeumve calculum, in aprico eſt; undè ſupervacaneum arbitramur, prolixam Autorum experientiam conſulere. Locô omnium eſſe poterit magni nominis quondam Vir, ſeculi noſtri Varro, qui abundè teſtatum in vitâ fecit, quantum doloris pepererit, quantum lacrumarum eduxerit illa materia lapidoſa, quæ renibus & veſicæ cruciatus inſignes & reliquis omnibus ferè ſui corporis articulis ruinam per multos annos paravit, usque dùm naturæ debitum perſolvere coactus fuit.

Neque *ſilentii* peplô ſunt involvendi illi calculi, qui in vaſis ſanguifluis reperti ſunt. Talismodi invenit *in cordis arteriis Fernelius l. 5. de partic. morb. & ſympt. c. 12.*

(2.) *In venis & arteriis pulmonariis* magnam ♀riſatorum lapillorum copiam deprehendit *Langius miſcell. med. cur. th. 12.* ubi & *Tulpium* in ſimili themate adducit.

(3.) *In baſi arteriæ magnæ* notavit *Corn. Gemma, loc. à B. Sennerto cit.*

(4.) *In arteriolâ utrinq; uteri vaginæ inſertâ* ante biennium in fœminâ XXVII. annorum, publicè ab *Exc. D. D. Præſide* diſſectâ, Philiatris cùm ſtupore ſpectantibus, lapillos duos albicantes, ſiliceos, rotundos detexit, quorum alter quaſi ex duobus granis lithoſpermi minoris coagmentatus, alter milii grano planè æqualis erat. Depictos exhibet *Lit. Q.*

(5.) *In venâ portæ* viſorum calculorum meminit *Columbus l. 15.*

(6.) *In venis hæmorrhoidalibus*, item

(7.) *è venâ ſectâ* prodeuntes lapilli notati ſunt in *Ephem. Germ. ann. 1. obſ. 65.*

Com-

Complementum deniq; addunt, qui (1.) *in abſceſſibus* obſervati ſunt, de quibus *J. G. Schenckius, Lithogen. c. 4. & 17. Levinius Lemnius d. occult. nat. mirac. l. 4. c. 12. Ephem. Germ. ann. 4. & 5. obſ. 189.* & alii legi poſſunt.

(2.) *Ex atheromate* eductos calculos, unciæ longitudine, gypſeæ ſubſtantiæ, levis, variis tuberculis verrucatos allegat *Becherus phyſ. ſubterr. l. 1. ſect. 6. c. 3. §. 38.*

(3.) E *ſteatomate* ultra annum quietô, pòſt verò in certamine equeſtri irritatô, doloresque inſignes producente, lapis avellanæ magnitudinis, anguloſus & ſpadiceus obſervatus à *cit. Kentmanno l. c. cap. 10.* Geminum ferè habet *Salmuth, cent. 3. obſ. 72.*

Caput IV.

cauſam immediatam & mediatam proximiorem perſcrutatur.

QUantum lucis cauſarum inveſtigatio tùm indagationi morborum, tùm curationi ipſi afferat, in aprico eſt. Receptæ igitur tenùs hâc methodo nos quoq; accommodabimus, &, quantum ingeniô valuerimus, calculorum ſcrutabimur originem.

Difficultatibus quamplurimis & maximis celeberrimorum Autorum diſſenſionibus nos intricatiſſimos videntes, ultrò fateri cogimur, extricationi vix ſufficientes nos eſſe, undè etiam faciliorem, ſi non omnia acu tetigerimus, à B. L. ſperamus veniam.

In ſententiis enim ad intentionem noſtram ferendis tàm egregiè diſſident ſcriptorum animi, ut ex compacto quaſi ſingulos à ſingulis diſſenſuros conſenſiſſe videantur. Quæ ſanè concors opinionum diſcordia non ſcientiæ, ſed potiùs confuſionis mater eſt; dubitationis verò, imò inſcitiæ omnis meritò dicenda avia. Undè potiora, quibus nempè plus veritatis ineſſe cenſetur, ſcriptorum ſenſa indagabimus, &, quæ tandèm noſtro hæreat animo ſententia, brevibus adnectemus.

Sunt (I.) qui calculorum pullaginem *ſoli pituitæ albæ*, eique craſſæ, tenaci, à juſtô majori renum calore ſiccatæ, & in lapideam

usq; duritiem torrefactæ tribuunt, anſam opinionis ſuæ deſumentes à mucagine ſubpallidâ & viſcoſâ, muco narium æmulâ, in calculoſorum □is ſubſidente.

Verùm, quò minùs hiſce ſubſcribamus, plurima nos urgent. (1.) Nam vel totâ die calculosâ progenie temperaturæ tùm ſanguineæ, tùm bilioſæ vexantur; imò & in plurimis viſceribus & cavitatibus, quò pituitæ tali vix datur aditus, obſervatur, undè pituitam ſolam calculorum matrem in univerſum ſtatuere non licet. Accedit

(2.) pituitam, ſi torrefiat & coeat, vel *planè friabilem fieri*, quod mucus narium manifeſtat, ſicque vili operâ vel ▽ ſimplici dilui vel elui poteſt, calculô nihilominùs pygmæis iſtis remediis ne latum unguem, quin ne hilum, cedente: vel *albuginis ovorum adinſtar indurari* quidem poſſe, & aquæ reſiſtere, pelluciditatem tamen & inſignem ſuperficiei lævorem, gemmis æmulum, induere, quibus tamèn nihil minùs in calculis obſervatu datur.

(3.) *Pituita in renibus tàm diu perſiſtere nequit*, ſicuti jàm dudùm confutârunt *Platerus* & *Paracelſus*. Sin verò excipientis quaſi vices in productione calculi pituitam ſuſtinere, cui allubeſcat ſtatuere, cum eô non contendemus; Mucum verò iſtum è veſicâ prodeuntem & in calculoſorum urinis fundo innatantem, *vel* materiam lapidis ex quâ eſſe, viſui tamèn ſub ſpecie pituitæ imprimi; *vel* cum *Helmontio tract. de Lithiaſi cap. 2.* lugubrem potiùs ejus effectum eſſe judicandum. Similia legi merentur apud *Riverium prax. med. cap. 1. l. 14. p. m. 141.*

II. Sunt, qui calculorum primordia ſubſtantiæ terrenæ, quam in ſerô copioſô diluente natantem ſalia ſeu ſpicula ſalina copioſa intertexunt, & ad fluorem coitionemque diſponunt, accepta referunt, quos inter *Platerus*, *Anshelmus*, *Unzerus* & alii nominari merentur.

III. Quidam humores ♀reos, mucilaginoſos, non unô ſæpè ⊖lium, ut ⊖lis communis, ⊕, O. &c. genere gravidos accuſant: quod pluribus deducit *Charletòn de lithiaſi cap. 3. p. 56. ſeqq.*

IV. Dantur, qui ſuccum quendam peculiarem ad ſponte ſuâ lapideſcendum natum, quem ſpiritus quidam lapidificus (vel à capite *Gorgoneo*, cujus adſpectu omnia in ſaxum fuere mutata, vel à

foro-

ſororibus *Gorgonibus*, quæ quoscunque conſpexerant, in lapides convertere poterant, *Gorgoneus* dictus,) pervadat, vigoret & animet, calculorum parentem ſtatuunt, juxta *Helmontium tract. de lithiaſi cap.* 4. ſecuti.

V. Multi calculorum productionem materiæ viſcoſæ, lentæ, craſſæ, feculentæ, terreæ, limoſæ ac lutoſæ, cujus partes facilè glutinantur, invicemque cohærent, & in calculum faceſſere poſſunt, adſcribunt.

VI. Neque deſunt, qui ſanguinem ipſum propter terreſtrem tenacemque fibrarum texturam, accedente cumprimis calore adurente, lapidum diſſolubilium originem accuſant; quorum tamèn ſententiæ quò minùs ſubſcribamus, urgent potiores rationes.

VII. Reperiuntur etiam, qui ⊖lia ſtyptica, calcarii lapidis æmula, ♀rea, ⦶oſa, Ooſa, ⊕lata & ſimilia, hîc ſola dominari credunt.

VIII. Denique deprehenduntur, qui tribus *Libavii* experimentis *exam. Philoſophiæ viventis ſecundùm deſcriptionem Joh. Hartm. ſect. 32. p. m. 235.* deſcriptis, fidem habentes, calculi materiam pinguedinem quandam 🜍ream bituminoſam microcoſmicam, *à Charletone tract. de lithiaſi cit. cap. 3.* prolixiùs deſcriptam conſtituunt.

Verum enimverò difficillimum longè videtur unam eandemque calculorum omnium cauſam aſſignare. Experimur enim totâ die plurimas concretionum, lapides æmulantium differentias, quarum non unam in corpore humanô locum habere, tot ac tanta calculorum, figurâ, mole, conſiſtentiâ, colore, & ſi qua ſunt alia, diſcrimina ſatis ſuperq; teſtatum faciunt. Undè ſingulos ab unâ eâdemq; causâ deducere, eſſet cum ratione inſanire, quod etiam vivæ corporis noſtri lapidicinæ ſive partes calculorum proventui ſubjectæ, temperie admodùm variantes, imò ſuccorum & liquorum diverſitas firmitèr disſuadent.

Recenſitæ quidem autorum ſententiæ & opiniones calculis renum & veſicæ quadrant, & certô modô ac certis terminis inter ſe conciliari; non tamèn omnibus lapidibus in omnibus ſubjectis adaptari poſſunt.

Ut verò, quæ nobis animo hæreat ſententia, proponamus, di-

cimus,

cimus, cauſam calculorum materialem proximam eſſe ſuccos craſſos, non ſolùm quatenùs feculenti, viſcidi aut glutinoſi, ſed etiam terreſtribus ſalinisq́ particulis impraegnati ſunt, quarum præſentiâ coagulatio prædictorum ſuccorum feliciùs ſuccedit.

Credimus proindè, Archeum noſtrum in ſubjectis variis variè variantem, ſeq́ pro humoris alimentarii partiumq́ corporis diſpoſitione & valore aliàs vel rectè, vel erroneè gerentem, ubi in ſanguine particulas ♀reas, bituminoſas, viſcidas, quibus bilis inprimis abundat (undè & ratio peti poteſt, cur poſt renes & veſicam folliculus felleus adeò frequentèr infeſtetur calculis) præſertim, ſi ſpiſſiores & ſegniores fuerint, deprehendat, quibus ſeſe asſociet plus minusvè ſalis ſive acidi, ſive lixivioſi, ſive medii, & particularũ terrearum variæ naturæ, à quarum ſingularum copiâ vel paucitate calculorum ſoliditas vel friabilitas & color; figura verò vel à parte, cui impingitur, acquiritur; vel ſi in cavitate quadam quaſi pendeat, & æqualitèr undique apponatùr materia, fit rotunda; ſi inæqualiter, irregularis prodit; ſin deficiat quodammodò bitumen compingens, arenulas ſaltim fieri credibile eſt. Et ita calculoſa concretio in proclivi eſſe videtur.

Confirmat hoc aſſertum

(1.) Concretio ipſa, quæ non in inſtanti, ſed ſuccesſivè fit. Id quod confirmant defunctorum aperta cadavera, quorum in renibus, veſicâ & alibi molliuſcula adhùc, inſtar ceræ digitorum presſioni non adeò reluctans maſſa deprehenſa fuit, quæ nonnunquàm prædictis in locis vel ſola ſine calculis reperitur, nonnunquàm verò præſentium & intùs deliteſcentium calculorum peripheriæ adhærere ſolet, &, niſi Parcæ interdùm alitèr decreviſſent, ſucceſſu temporis ſoliditatem acquirere, & poſteà cruciatus pro more excitare valuisſet. Hoc ipſum nobis non ita pridèm manifeſtè demonſtravit *Exc. D. D. Præſes* in tophaceo calculo è veſiculâ biliariâ bovinâ exemtô, cum admiratione adſtantium.

(2.) Data hæc requiſita ſingula in □â ordinariè plenoq́ modiô deprehenduntur, quemadmodùm ex intimis chimiæ penetralibus hoc edocet *B. Mœbius, epitom. inſtit. med. lib. 3. part. 1. ſect. 3. c. 2.* Neq́ obſtat, arenulas in matulâ citò ſatis concreſcere, cùm ibi urina ſuperficiem interiorem ſaltim lambat; undè facilior concretio,

cretio, quam aër frigidior ambiens juvat; calor verò corporis noſtri naturalis cum madore partibus omnibus naturali, aut, ſi mavis, humido radicali, ſubitaneam illam coagulationem quodammodò remoratur.

CAPUT V,

cauſas remotiores naturales proſequitur.

UT in omni morbô, ita & calculoſâ progenie magna ſæpè eſt naturæ potentia: undè non Apollinis magis verum eſt, quàm *à B. Rolfincio meth. comm. lib. 2. ſect. 3. c. 31.* prolatum effatum: *Magnam in humoribus vitioſis cumulandis vim diſpoſitiones naturales habent, quæ ex naturalibus inclinationibus diſponunt ſubjectum ad receptibilitatem infortunatæ morboſæ impreſſionis, ſine quibus res non naturales parùm valent. Hinc fit, ut, etſi plures in eodem aëre calidiori verſentur, non omnes tamen incidant in febrim. Non omnes, qui eodem utuntur victu, corripiuntur febri.*

Cauſas haſce indigenas quidam excludunt, & principia calculoſæ concretionis non in homine ipsô, ſed extra illum quæritant, utpote merè adventitia, ex aſſumtis derivanda. Ipſa tamen experientia, infirmô hanc inniti ſententiam fundamentô, abundè edocet. Quot enim familiæ, quot pagi, quot urbes, cibô potuque, quæ tamen hîc caput rei habentur, planè eôdem utuntur, nihilominùs tamen quamplurimos à calculorum invaſionibus liberos vivere, in apricô eſt. Undè, quemadmodum à cibis atq; potulentis materialis cauſa ſuppeditata agnoſcitur; ita certè conſenſus partium indigenarum negari non poterit, ſed ut remotiores naturales cauſæ omninò agnoſcendæ.

Inter has primô locô poſitum exſtat TEMPERAMENTUM vel *totius corporis*, vel *ſingularum partium*. Ex huj9 exactâ contemplatione, præſertim & potiſſimùm, cùm lymphâ blandâ diluente deſtituitur, SICCUM fit manifeſtum; vel cùm particulis ſalino-♀reis, admixtis maximè terreis, ad coitionem proclivibus ſcatet, ex prædominio BILIOSUM nominatur, ſive id accidat corpori toti, undè vel variis in partibus ſimul vel plures calculi propullulare poſſunt;

vel parti uni pluribùsve, unde iſti vel iſtis impendere poteſt à calculis periculum.

MODUS SUBSTANTIÆ hùc ſpectat, & quidem partium obſesſarum CONFORMATIO, quæ, ſi non adeò conveniens fuerit, tanquam concauſa erit accuſanda. Ita *vaſa emulgentia*, cùm plus juſtô ſint *anguſtiora*, ad congeſtionem mucilagineorum 🜿reorumq́; ſuccorum plurimum facient, & ita renes majori exponent periculo. Sin *patentiora* eò magis heterogenearum harum particularum allapſum vel promovendo, accumulabunt, vel propellendo dimittent.

Renum ſubſtantia parenchymatica,& cumprimis carunculæ papillares cum alveolis ſuis ſecundùm naturam quando non conſtituta ſunt, non parùm conferent hîc momenti.

Ureteres tàm amplitudine ſuâ peccare, quàm anguſtiâ posſunt. Hâc promovetur concretio, illâ renes quidem aliquatenùs liberari videntur, veſicæ tamen materia advehitur.

Collum veſicæ anguſtius eâdem ratione accuſandum eſt; ſiquidem moram limo huic concedit.

Viſcera coctionibus deſtinata publicis, ſi, quod ſuum eſt officium, diligenter non expediunt, progeniem calculoſam fovent. Sic Archeus & fermentum ventriculi cùm à nativâ & corpori conveniente temperaturâ deflectunt, ſaliumq́; volatilium blandorum à fixioribus & feculentis ſecretionem non ritè commodent, aut recuſent, ubicunq́; in corpore locorum facilis erit prædictæ mucilaginis ſtagnatio & coagulatio.

Ita & in reliquis viſceribus depuratoriis, corde, pulmonibus, hepate, cyſtide felleâ, liene, &c. ſi chylus ſangvineæ maſſæ admixtus, uti decet, non centraliter reſolvatur aut volatiliſetur, μά-λωσις eſt præ foribus, πνευματώσει obex ponitur, ⊖lia fixa 🜿rea nunc magis, nunc minùs coagulabilia variis affricari poterunt partibus.

Renum intemperies tùm *calida* nimis, tùm *frigida*, tùm quoque *ſicca* ad calculorum generationem confert. Calidi enim humores magis attrahunt; frigidi, cùm imbecilles ſint, conſentiunt in affluxum talem; ſicci difficulter dimittunt.

Cum ſiccitatis hujus prædominiô ſimul qualitatum elementa-

rium

rium ἀταξίαν & vitiatam partium conformationem conjungit *Charleton tract. de lithiaſi cap. 4.* & ſic diſpoſitionem calculoſam fieri aſſerit, eò, quòd v. g. renes ſicciores non tantùm plus humiditatis, adeoq; etiam ♀rum copioſiorem attrahant; ſed etiam compertum ſit, eos, qui renes habent ſicciores, præ humidioribus calculô laborare, aliquid dicit, negotium tamen omne non abſolvit. Tàm ſolitaria enim renum ſiccitas, in locô tali naturâ ulginoſo, atq; tanta, ut calculi vel ſilicei indè concreſcere poſſint, vix præſupponi aut concipi ſine diſcrimine vitæ poterit.

Diſpoſitio quoque in aliis corporis partibus, cavitate quâdam præditis, ubi calculos obſervatos hiſtoriæ ſuperiùs numeratæ teſtantur, ad calculū notanda hæc erit, dùm vel anguſtiores juſtô ſive ab ortu, ſive poſt ortum; vel compreſſæ, conniventes, vel aſperæ, vel quocunque modô vitioſæ deprehenduntur, ſuperveniatq; materia calculis idonea, quæ niſi propellatur, calculorum productioni favet.

HÆREDITARIA DISPOSITIO quamplurimùm ad calculi generationem valere, experientia ferè momentanea evincit. Ita *Beverovicius libello de ren. & veſ. calc. cap. 7.* Et ego, *inquit*, in me ipsô & fratre, qui è calculo veſicæ obiit, ab avô maternô hæreditarium experior. Unde non inconcinnè *Bapt. Mantuanus:*

Qui viret in foliis, venit à radicibus humor:
ſic patrum in natos abeunt cum ſemine morbi.

Morborum verò per parentes in ſobolem transplantatio ad mentem medicorum recentiorum tribuitur firmæ parentum in ipsô generationis actu impreſſioni, & hinc Archei formatoris, peregrinis affectibus, quibus generantes conflictantur, ideis turbati & obſcurati errori & prævaricationi, undè parentes vel ex totô, ut in ſeniô, vel ex parte certâ imbecilles generant fœtum, vel ex totô, vel ex parte imbecillem. Cum verò calculorum generatio potisſimùm debeatur principio ⊖ino, quod præ reliquis firmum ac fixum eſt, & ſanguini intimiùs miſceri poteſt aut maritari; unde & ſemen, (quod alioqui per ſe ⊖e maximè pollet,) & in ipsô latitans contagioſus, isque prolificus halitus inquinatur, eapropter alitèr fieri non poterit, cùm in ipsô ſeminis ſpiritu tàm fixas radices egerit, principium hoc petrificum apud parentes, quàm ut hæreditarii

 fiant

fiant vel fieri debeant morbi, dùm ideæ, præterfluenti materiæ ſeminali, à ſingulis partibus, pro earundem diſpoſitione & habitu variæ communicantur, undè & ad talis adfectûs, qui parentes in iſtâ parte adfligebat, productionem habiles fiunt.

Magna etiam vis eſt hujus lapidificæ diſpoſitionis, ut, qui nacti eam ſunt à primô ortu, vix ſibi de immunitate ſpem facere; vel aliquid certi polliceri poſſint. Quod aſſertum confirmare poterit ſententiâ *Aretæi lib. 2. de diuturn. curat. c. 3.* ῥηΐτερὸν μὲν γὰρ μήτρην ἄτοκον θέμεναι, ἢ νεφροὺς λιθιῶντας ἀλίθους. *faciliùs*, inquientis, *uterum à pariendi munere abſtrahes, quàm calculoſos renes à gignendis calculis.*

ÆTAS meritò quoq; conſideratioñe meretur; plurimùm enim eam in calculis fovendis & excludendis valere, hinc pateſcit, quòd non omnem promiſcuè, vel æquè graviter aut frequenter malo calculoſo torqueri totô experiamur die. Una itaque præ alterâ magis ad idem erit accommoda.

Nulla quidem ætas de ἀτελείας ſive immunitatis à calculis privilegio gratulari ſibi poteſt; ſiquidem nec ipſa infantilia corpora, quæ lucem vix adſpexerunt, puerorum æquè, quàm puellarum, omnimodam torturæ hujus vacationem impetrârunt.

Notari hîc *Coi lib. d. nat. hom. non procul à fine*, ſententia meretur, dùm in pueris ob veſicæ & totius corporis caliditatem gigni calculos, quod viris ob corporis frigiditatem uſu minimè veniat, ſtatuit, rationemq; ſtatim ſubjicit: iſtud enim, *inquit*, probè noſſe convenit, hominem à primâ ætate in omni vitâ eſſe calidiſſimum; poſtremâ verò frigidiſſimum, quod ipſum & *lib. 1. de vict. rat.* repetit.

Idem etiam prædictus *divinus Senex* diſcrimen facit, dubio procul ab experientiâ certior factus, inter λιθίασιν, quæ vi originationis calculorum, in quâcunque corporis parte, & νεφρίτιδα, quæ in renibus tantùm, proventum notat, illamque τοῖς τῶν ὀδοντοφυούντων πρεσβυτέροισι, *dentientibus ætate provectioribus ſect. 3. aphoriſm. 26.* hanc verò τοῖς πρεσβύταις, *ſenibus* ſive grandævis *ſect. 3. aph. 31.* attribuit. Nimirùm cùm in renibus ob remotum ſatis & abditum eorum ſitum ſaliſque urinoſi coagulari apti hîc tanta non ſit, quàm in veſicâ, copia, mora vel ἐνέργεια, pedetentim ac lentè calculoſæ

materiæ

materiæ ſiat congeſtio ; ipſi verò in junioribus, ♀rc qui nondùm fracti ſunt, adeoque robuſtiores & ad hoſti irruenti reſiſtendum validiores, aliâ potiùs, quàm hâc parte, contingit lithiaſis ; his verò contraria, quoniam in ſenibus reperiuntur, eveniunt iis quoque contraria.

SEXUS etiam ſuô modô calculoſæ proſapiæ favere videtur. Sexus potior ob vaſa quodammodò anguſtiora, ſolidioraq; ſeu duriora, vel, ſi mavis, ob habitum corporis denſiorem ac firmiorem, ut & deficientem ordinariam ac naturalem, ut in ſequiori, evacuationem, labi huic præ alterâ magis eſt expoſitus, unde facilior, 🜔iumaliorumque ſuccorum cum iis coire aptorũ coagmentatio. Prærogativam verò in hôc paſſu fœminæ, morbum alioquin omnem, plus quàm verò *Helmontii*, *tract. aſthma & tuſſis inſcripto*, teſtimoniô, bis patientes, ſemel ut homines, ſemel ut mulieres propter uterum, obtinent, tùm ob molliora & laxiora, hinc & magis lubrica vaſa, undè fit, ut adhæſio materiæ ♀reæ non ſit tàm facilis ; tùm, ut jam verbulô tetigimus, ob conſuetam naturæ menſtrualem ſanguinis impurioris & feculentioris expurgationem ; tùm & (ratione veſicalis inprimis lapidis) ampliorem brevioremque urethram, unde nec collectio tàm prona, &, ſiqua fiat, exonerari materiam proclive eſt quàm maximè. De immunitate tamen non habent, cur ſibi gratulentur. Si enim practicorum eminentiorum volumina & annales evolvimus, quàmplurima fœminarum lithiaſin expertarum exempla videmus.

Quadrat hùc, ut ſummam faciamus, illud *Alexandri Aphrodiſæi lib. 2. probl. 45. & 50.* αἱ θήλειαι βραδέως λιθιῶσι τὴν κύστιν, *fœminæ veſicæ* (imò ferè quôvis) *calculô non laborant*, inquientis. Nec fortè adeò de injuriâ traxerimus huc *Coi magni ſ. 6. aphor. 29.* effatum, *inquientis:* γυνὴ μὴ ποδαγριᾷ, ἢν μὴ τὰ καταμήνια αὐτῇ ἐκλείπῃ. *Mulier podagrâ non afficitur, niſi menſtrua ipſi defecerint*; adeò, à podagrâ, quæ eadem habet principia cùm calculô, ad calculum argumentatio hîc valere omninò poterit, ſiquidem magna podagræ & calculi eſt affinitas, unde de facili fieri poterit, ut alterutrius mutatio accidat, nempè ut podagra in calculum & calculus in podagram permutetur.

Cap. VI,

alteram mediatarum cauſarum remotiorum claſſem, res non naturales, contemplatur.

QUandoquidem triſti licet, veriſſimô tamen *Hippocratis* effatô, morbi ex iis rebus, quibus vivimus, nobis obtingunt; ſic idem, proh dolor! in calculorum geneſi malô ſuô totâ experiuntur ægri die. Sive enim

I. AËREM, quô ſine ne tantillum quidem vitæ nobis reſtat, conſideremus, variis ſæpè inquinamentis refertus, lithiaſin fovere poteſt. Is enim ſæpè turbidus, paludoſus, nebuloſus, vel aliô modô impurus, in locis nivoſis, nitroſis, propè aquas tophis divites, metallifodinas, aliisque impuris ⊖libus, & 🜃reſtribus defœdatus μιάσμασι, lithiaſin latentem excludere potens eſt; excluſum verò & jàm præſentem calculum atrocibus cruciatibus comitatur & crudeliorem reddere valet.

Spectant hûc *influentiæ aſtrales*, quæ ſuô modô, cumprimis verò aërem & in eô contingentes varias anni tempeſtates mirè variando, atque hinc pro peculiari cujusvis diſpoſitione & ἰδιοσυγκρασίᾳ alteri atque alteri diverſimodè aptando, non diſcedunt ἀσύμβολοι. *Conſtellationes quasdam*, calculorum progeniei faventes, collegit & in dives eruditionis variæ κειμηλιαρχεῖον inſeruit *B. Rolfincius, meth. med. ſpecial. comm.* ὡς ἐν γένει, *lib. 2. ſect. 3. cap. 50.* Sive

II. ALIMENTA noſtra, à quibus benè & diu eſſe corpus noſtrum habet, quæ magis, quàm ulla res nonnaturalis alia, πέτρωσιν promovere valent, ſicuti hoc obtigiſſe luctuoſa quotidiè teſtatur experientia.

Inter *cibos* olera pleraque nitroſô; legumina verò 🜍reô ſuccô turgida deprehenduntur, & flatulentâ ſimul gaudent ἐνεργείᾳ, undè calculorum generationi vel favent, vel generatos ulterius fovent. Mitiorem tamen cenſuram merentur radices, flores, & alia quædam,

quædam, e. g. cappares, aſparagus, lupulus &c. His adnumerari poſſunt *ciceres* (rubri) ob decantatam ſingularem abſtergendi, urinam ciendi, viſceraque mundandi vim, debitè ac tempeſtivè aſſumti.

Panis noſter ἐπιούσιος, quotidianus, ciborum ferè omnium optimus, & juxta *Helmontium* condimentum, non raro, ſed ſæpiuſculè lapidicinæ microcoſmicæ fautor & autor exiſtit, dum *vel* (1.) non bene fermentatus; *vel* hinc (2.) non benè coctus, gravis, ponderoſus, glutinoſus eſt, à ventriculi fermentô non commodè digeri, explicari, reſolvi poteſt, ⊖lia heterogenea terreis particulis, quæ ſufficientèr elaborari, multò minùs ſubtiliſari potuerunt, imprægnata tandem locis ſibi familiaribus adponuntur vel adſiguntur; *Vel* (3.) quando à lapidibus molaribus farinæ particulæ 🜃reæ communicantur, quæ ſimul comeduntur, deglutiuntur, ſanguinique denique miſcentur, undè curiosè *Langius in diſput. de calculi generatione* §. 27. hanc ſententiam examinans, concludit, hoc vel indè patere debere, quia tot ac tot lapides molares, ſenſim licet attriti, pereant, ſeque farinæ miſceant, qui ſimul deglutiantur, &c. Videatur locus ipſe.

Panis triticeus delicatus quidem cum jucunditate aſſumitur, attamen ob viſciditatem ſuam obſtructiones parere, anſamque nephriticis dare inſultibus quidam, nec fortè ſine ratione, cumprimis cum lacte ſubactum, niſi corpus exerceatur, autumant. Confer. *Jonſtonus ſyntagm. med. pract. parte 1. lib. 1. tit. 1. cap. 2. art. 2. puncto 5. p. 45.*

Carnes, quibus poſt panem vix datur ſolidius firmiusque nutrimentum, crudæ & duræ, *taurinæ*, *arietinæ*, *caprinæ*, *ſuillæ*, *ovinæ* & *aliæ* plures, *macilentæ* cumprimis, *annoſæ* & *exſuccæ*, culpam hîc ſubeunt; maximè verò omnium *fumô induratæ*, *⊖le vel* 🜊*tô maceratæ & conditæ*, nec non *brutorum inteſtina*, *pedes*, aliæque *tendinoſæ*, *mucoſæ* & *concoctu difficiles* eorum partes hîc etiam notam merentur.

Ferarum carnes accuſat *Paracelſus*, quòd ex earum uſu ♀rus in corpore noſtrô coacervetur. *Alii* tamen divini *Hippocratis*, quem fallere fallique neſcium deprædicat *Macrobius*, autoritate, *lib. 2. de Diæta, ante medium*, ducti, animalia fera manſuetis, quæ

in

in ætatis vigore ſunt conſtituta, admodùm vetuſtis; & juvencula, maſculaque fœmineis, caſtrataq; non caſtratis, ſicciora hinc & ſubactu difficiliora pronuntiant.

Piſcium carnes, quæ in regionibus, animalium terreſtrium carne divitibus, delitiarum ac voluptatis gratiâ ferè expetuntur, lithiaſeos præ reliquis carnibus feraces ſunt; undè & calculus, ſcorbutus & ſimiles affectus alii locis maritimis piſcivoris quàm maximè ſunt endemii. Mitiùs quidem ſentiendũ de piſcibus, qui in aquis dulcibus, iisque puris, fluentibus, non quieſcentibus, ſabuloſis &c. degunt, cæterorum verò calculo excludendo viam parant ampliſſimam. Inprimis *piſces lacuſtres* & *marini* omnes ferè, quos perdurationis ergò negotiatores *vel* ⊖e conſpergunt fumoq; indurant; *vel* in aëre libero exſiccant; emtores verò propter guſtus blandimentum & ad potus incitamentum ad nauſeam usque ſæpè ſe iisdem infarciunt, ut *haleces*, *murænæ*, *aſelli*, *ſturiones &c.* nullam non incurrunt notam. Imò & *cancri* ipſi, ex cenſurâ *Helmontii lib. de lithiaſi cap. 1. n. 18.* non penitùs excludendi ſunt, & cum his omnia *conchyliorum* genera.

Avium carnes, tenerius quidem & coctu facilius nutrimentum utplurimùm præbent; at in caveis educatarum, ut & aquaticarum, paludoſarumque non ita vacant culpâ. Excrementitiæ enim habentur & obſtructionum feraces audiunt.

LAC & omnia LACTICINIA, & CASEUS inprimis, eoque magis, quò vetuſtior ac ſalſior, omnium ferè conſenſu, atrô notantur calculô. *Lac* quidem quod ſpectat, ei tantum in calculorum generatione *Hippocrates* tribuit, ut *lib. 4. de morbis, non procul à fine*, περὶ δὲ λιθίδος ἀρχὴν μὲν γίνεσθαι ἀπὸ τοῦ γάλακτος τῇ νόσῳ, ἐπὴν τὸ παιδίον θηλάζῃ γάλα μὴ καθαρὸν, *calculi morbo principium ex lacte oboriri, ubi puer lac impurum è mammis ſugit*, ſcribere non vereatur; quod & *Galenus 6. epidem. comm. 6. text. 15.* confirmat. CASEUM verò *idem lib. 4. de victus rat: in morb. acut. non procul à fine*, flatus & adſtrictionem parere, cibos incendere, crudum & incoctum edulium exiſtere, ejusque eſum inter potandum repletis deterrimum pronuntiavit. *Vid. Rolf. meth. comm. l. 2. ſect. 3. c. 61. p. 135.*

Quærentibus: *utrum ſalubrius ſit, caſeo vinum, an verò cereviſiam ſuperbibere?* reſpondemus *cereviſiam*.

In

In genere calculorum maximè feraces cibi à *Schönbornio* notati ſunt ſub titulo illorum, quæ renibus & veſicæ nocere valent, undè uni quaſi conſpectui ſiſtuntur. Valdè enim acria, *man. med. pract. Galeno-chim. p. 199. dicit*, ſalita omnia ac piperata renibus noxia ſunt; caſeus item ſalſus ac putridus, ova dura & frixa, carnes & piſces fumô indurati ac ſaliti obſtructiones renum pariunt, & copioſam calculo materiam præbent, cibique alii ♀rei ſucci.

Ciborum condimenta promiſcuè nec ordinatè uſurpata culpam merentur hìc etiam graviſſimam. Ex hiſce facilè primum obtinet locum θεοφιλὲς σῶμα, καὶ τῶν ὄψων ὄψον καὶ ἥδυσμα, *Deo gratum munus, obſoniorum obſonium & delectamentum*, SAL CULINARIUM. Hoc enim modicè ſumtum ac decenter, vel multiplices corpori adfert commoditates; immodicè verò vel liberaliùs uſurpatum gratiam alioquin parere ſolitam vel centuplâ noxâ reſarcit. Quandoquidem enim coagulationis principium in antecedentibus 🜔i adjudicavimus (cui accedit communis 🜔ium tantùm non omnium vis diuretica) facile exin divinare erit, quantum nimius 🜔is in corpore noſtro proventus λιθογονίαν promovere valeat? Tale enim additum tali, illud magis tale reddere in confeſſis eſt.

Eadem ferè 🜔is illius vegetabilis, SACCHARI, eſt ratio, quod uti ætatis tenellæ, eô nimioperè ſæpè delectantis, dentes cruſtâ ♀reâ nigricante obducit, doloremque & dentium cariem brevi poſt ſimul parit; ita & alibi maculam ſimilem affricare poterit.

Neque inconcinnus AROMATUM uſus omni vacat culpâ. Eadem enim 🜍re oleoſô, acri ac volatili ſatis copioſô pollere nemo neſcit: oleoſæ autem horum partes cum 🜔ibus, quæ in omni ciborum genere copioſa ſatis, plùs minùs tamen coëuntes, in offam craſſam, imò &, ſi juſta utriusque proportio fuerit, in ſolidum corpus abire, ſubindè ex chimicis videre eſt operationibus. Sic 🝆 commune cum 🜄â ſale benè ſaturatâ in pultem candidum abit; ſed & alia deſtillata olea, v. gr. ſuccini, cum ſpiritu 🜔is communis in ſuccineam duritiem, peritâ manu converti apta ſunt. Alia, quæ rei huic illuſtrandæ apta eſſent, jàm præterimus, aliique occaſioni reſervamus.

Nec minus ex POTULENTIS, vel naturâ ſuâ inconvenientibus, vel indecentèr uſurpatis, timendum eſt periculum.

AQVA, primus hominum potus, prima obtinuit ſubſellia. Hæc ſi ⊖ibus nimiùm ſit gravida, vel per ductus lutoſos tophaceóſve fluat, notabile hìc adfert ſymbolum.

Thermarum, præcipuè Carolinarum, noxæ hîc maximè notandæ, quas *B. Langius diſp. de thermis Carolinis cap. 5. §. 17. & ſeqq.* acriter ſatis perſtringit.

CEREVISIA, potus Septentrionalium familiariſſimus, ut ſalubris ſit, neceſſe eſt, fidem ſic faciente *Joh. Heinr. Meibomio, tract. de cereviſiis cap. 27. §. 2. & ſeqq.* ut (1.) habeat ▽m ſalubrem, (2.) frumentum bonum, (3.) decentem hujus germinationem ac toſtionem convenientē, (4.) lupuli flores, (5.) cocturam & (6.) fermentationem ſufficientem. His (7.) ætas conveniens & (8.) naturæ amica moderataque, non effuſa ejus potio, adjungi poſſunt. Singula horum negligenter habita calculorum proventui non minimum afferre queunt momentum. Ita cereviſias ex aquis lacuſtribus, paludoſis & alcaliſatis accuſat, nec immeritò, *Paracelſus lib. de* ♀*ro.*

VINUM, ſaluberrima, ſi decentem ſpectes uſum, humano generi divinitùs conceſſa; orientalibus verò & meridionalibus quotidiana potio, ratione acoris, quem in receſſu gerit, & ♀ri, jam ſubtilioris, jam craſſioris, inſignem quoque lapidicinæ in corpore noſtro anſam præbet. Hinc videre eſt illis locis, quibus ordinarius quaſi & quotidianus potus & uſus, arthritidem & nephritidem morbos ferè epidemios fieri, nihilque ibidem communius, quàm cruciatuum iſtorum querelæ. Inprimis verò *muſtum*, utpotè ♀rum ſuum omnem, feces, & ſiqua ſunt recrementa alia, quadrata rotundis miſta, ſecum adhùc gerens; item *vina recentia, dulcia, nigra* & *feculenta*, in terrâ, limô, argillâ, calce vel tophis, aliisque mineralibus fertili, nata, qualia: *Hungarica, Auſtriaca, Moravica, Rhenana, Bohemica, Gallica* & *Franconica*, &c.

Sunt tamen, qui Rhenanum hîc proclamant innoxium, inter quos *Beverovicius lib. de calculô cap. 7. p. 86.* idque proptereà, quod tenuitate ſuâ faciliùs penetret, obtuſum partium ſenſum etiam acrimoniâ ſuâ ſtimulet, congenitum ſibi olìm ♀rum iterum aſſumat, & ſecum è corpore educat. Teſtatur, ſe non duntaxat è quamplurimis audiiſſe, ſed & de ſeipſo aſſeverare poſſe, ſibi vinum Rhenanum ſine copioſâ arenularum mictione vix unquàm paulò argiùs aſſumtum.

Vino

Vino Jenenſi quidam notabilem inter cauſas calculorum nonnaturales dicam ſcribunt. Sed, uti patrocinium ejus generale ſuſcipere non audemus, ita omnia cujuscunq; bonitatis, ſoli, culturæ &c. Jenam matrem agnoſcentia vina eodem metiri indiſcriminatim calopodio, næ! magna eſſet inſania. Acquieſcimus proindè in prolatô à *B. Rolfincio ord. & method. med. ſpec. comm. lib.2. ſect.3. cap. 80.* judiciô. Vina itaq; tùm Jenenſia, tùm alia quæcunq;, calce vel per naturam abundantia, vel per artem vitii cujusdam corrigendi gratiâ nimis imprægnata, **kalkigte Weine/** penitùs à menſis ſanioribus, ubi à calculorum invaſione immunitas pro ſcopô eſt, vel releganda penitùs, vel quàm parciſſimè admittenda ſunt.

Hùc pertinet etiam medicaminum quorundam intempeſtivus & nimius uſus, præcipuè DIURETICORUM, *acriorum* vel *ſpecialium* ita *dictorum*, quibus non raro magma calculoſum, adhùc diffuſum & in maſſa ſanguinea adhuc natans ⊔tatur quaſi & parti cuidam infigitur; aut, ſi ⊖ina præcipuè ſint, coagulatio promovetur, cumprimis ſi calculi materia quoad mineram tali ⊖i correſpondeat, ejusdemque ſit indolis: ita enim tantum abeſt, calculum hoc modô diſſolvi vel expelli, ut potiùs majora & citiora ſumat incrementa, ejusque maturitas ſive induratio acceleretur. *Adde*, quod eadem, (par quoque aliorum ⊖e copiosè præditorum eſt ratio,) diſpoſitorum maximè, ſanguinem totum acribus perfundant ⊖ibus, corpori poſtmodùm ſano æquè ac ægro, varios dolores parientibus.

III. MOTUS & QUIES, tanquàm coadjuvantia, cauſis etiam calculorum quadantenùs accenſeri poſſunt. Quanquàm motus corporis fronte primâ coagulationi ♀reæ, quæ moram ſive quietem pro partium collectione requirit, turbando & diſcutiendo contrariari videatur, eumq;, dum pedem illa nondùm fixit, ſed adhuc in maſsâ ſanguineâ fluitat, ſubſidentiam & adhæſionem impedire poſſe, dùm in motu particularum ſanguinis agitatio, & quaſi conquaſſatio feliciter ſatis non modò ſuccedit; ſed & multùm juvatur, ſuô modô concedi poſſit; ſi tamen per quietem collectio quædam & ſedimentum notabile in parte quâdam factum jam eſt, idem per motum magis promovebitur.

 Ma-

Magis verò *motus intempeſtivus* aut non decenter ſuſceptus venit culpandus. Ita malè conſulere videntur ſanitati ſuæ, qui ſtatim à motu valido, ut ſaltatione, digladiatione, luctâ, equitatione citatiori, curſu in pilæ conorumque ludis &c. corpore adhùc quaſi æſtuante cibum potùmve capiunt, aut mox à paſtu valida talia tractant exercitia; peſſimè verò, qui utriusq; rei ſunt. *Illi* enim naturam turbatam & averſantem vi quaſi cogunt, unde & ventriculus, cibis refertus, multum tunc quoque commotus, aſſumtorum confectioni & digeſtioni ex debito vacare nequit; *iſti* cibum non modò aſſumtum, crudum, vixq; dimidiam debitæ præparationis partem adeptum in inteſtina & vaſa lactea præcipitant; undè quid *his* eveniat, & quàm ſe ſinguli tùm morborum aliorum Lernæ, tùm ſpeciatim calculorum ludibrio exponant, judicium erit facile faciendum.

QUIES nimia omninò etiam accuſanda. Nemini enim non conſtat, quàm vita ſedentaria pluribus corpori noſtro morbis ſit infeſta. Inprimis verò paſſionem hypochondriacam, ejusque fœtum genuinum, ſcorbutum, (at, hunc ſi dixeris, omnia mala dixeris!) gignere apta nata eſt; hi autem affectus, mirum quantum λιθιάσει ob ſilveſtrium varii generis ⊖ium abundantiam, favent! ſic, ut vix hypochondriacum aut ſcorbuticum reperias, hâc vel non affectum, vel affici non proniſſimum: planè verò nullum nephriticum, quem morbi hypochondriaci furiæ non infeſtent, uti ſæpiùs in lectionibus publicis & privatis teſtati ſunt Excellentiſſimi Dnni Præceptores mei, plurimùm obſervandi.

IV. SOMNUS & VIGILIÆ, tenore *aphor. 3. ſect. 2. & 7. aph. 51.* ἀμφότερα τοῦ μετρίου μᾶλλον γενόμενα, *ambo modum excedentia*, veluti morbum quemvis, ita & calculum, parere valent. *Ille* quidem Archeum hebetando & humorum excrementitiorum proventum juvando; maximè verò ſi corpore ſupinô inſtituatur: ſic enim partes dorſo vicinæ nimiùm incaleſcunt, quem calorem de facili materiæ craſſioris ac per vaſa ire ineptioris congeſtio in renibus alibíve excipere poteſt. *Hæ* corpus enervando, ac roſcidum vaporoſum partium nutrimentum depaſcendo, recrementorum ♀reorũ congeſtioni & coagmentationi gradum non levem addunt.

V. ANIMI AFFECTUS ſuum ſuô modô ad calculum micro-

coſmicum tùm producendum, tùm productum exacerbandum conferunt calculum. Sic *ira* vehementior totam maſſam ſanguineam conturbando, ejusque 🜍 exaltando & rarefaciendo; partis ♀reæ & terreſtrioris ab ipſò ſeceſſui facilè anſam præbere poteſt. Ita videmus irâ frequenter æſtuantes ſucceſſu temporis & ad ætatem grandæviorem provectos plerumq; vel cum calculoſis, vel cum arthriticis conflictari cruciatibus.

Mœſtitia quoque ſanguinem ſpiſſiorem, pigriorem, ad motum ineptiorem, adeoq; obſtructionibus producendis aptum reddendo, non omninò hîc excludenda erit, maximè ſi μιάσμασι talibus ♀reis coagulari pronis jam antè ſcateat.

VI. EXCERNENDA RETENTA etiam accuſari merentur; inprimis verò *diutina* ◻*æ retentio*. Maximam hanc ad generandum calculum habere vim, vel hinc patet, quod, ſiquis ◻m ante cubitum excernere quotidiè ſolitus, id prætermittat, ſequenti manè veſicam exonerans vix aut parum majorem ◻æ copiam mejendo ſit redditurus, quàm, quantum ordinariè, ſingulâ aliàs aurorâ conſueverat, indiciô manifeſtô, notabilem ejus copiam veſicæ, vel alioqui, ut aliàs matulæ parietibus, muci vel aliâ ſpecie ſeſe agglutinaſſe, id ſi ſæpiculè repetatur, calculi geneſin mirificè promoveri poſſe, conſectarium omninò eſt.

Saluti hinc magis conſulunt ſuæ, & à durô hôc hoſpite immunitatem polliceri ſibi majorem queunt, qui, quoties excernendæ ◻æ ſtimulum ſ. n. ſentiunt, veſicam onere ſuô levant. Non hîc ut contradictorium habendum antiquum dicterium: *naturalia non eſſe turpia*: limites niſi excedantur honeſtatis.

ALVI RECREMENTA diutiùs retenta λιθογενέσει favere, non abſonum rationi eſt. Dum enim diutius, quàm par eſt, retinentur, inteſtinali calculo ſuppetias ferre credibile eſt, quando nempè in ſe ♀rei quid continent; morâ tali tunc coagmentatio promovetur, & calculus, qualis mentio facta eſt *pag. 15.* produci poteſt.

VENUS hùc etiam ſpectat: quæ ſi plus juſto & decenter adoretur à mancipiis ſuis, eadem remunerari utplurimum ſolet ita, ut balſamô ſuô privet primigeniô renes, & ad arenoſam ſiccitatem diſponat. Simul etiam totius corporis & omnium viſcerum calorem

 lorem

lorem debilitat, anſamque largiſſimam ita cruditatibus exhibet.

Caput VII

res præternaturales, ut cauſas remotiores, denominat.

UNum morbum alterius ſæpè eſſe parentem, tùm aliàs, tùm & in λιθιάσει gignendâ, tàm notum eſt, quàm quod notiſſimum. Sic *hypochondriacus affectus* & *ſcorbutus* lapidum microcoſmicorum progeniei favent quàm maximè, ut nullus ferè detur, qui calculum vel genitum, vel mox gignendum in ſinu non circumgeſtet.

Arthritis raró, imò nunquàm ferè ſine λιθιάσει eſt, teſtimonio Medicorum ferè omnium, inprimis ſi fuerit inveterata. Eandem enim ferè hi duo morbi agnoſcunt mineram, ſaltim quod calculi, utpote craſſior & crudior, in primis plerumq; viis hæreat; arthritidis verò ſubtilior & volatilior, vel media, non ſolùm has ipſas afficit; ſed & ad nutrimentum artuum cùm devenit, idem corrumpit, lentore balſamicô ſuô privat, & in tophum convertit. Sic unus alterius libenter premit veſtigia, utpotè qui magnam habent inter ſe communionem.

Febris quartanæ fœtum fuiſſe calculum, vel arenoſam conſtitutionem, conſtat ex *B. Sennerto lib. 3. med. pract. part. 7. ſect. 1. cap. 6.*

Caput VIII

differentias calculorum in medium producit.

INgens licet calculoſæ progeniei microcoſmicæ ſit varietas, ut & arenam numerare velle videatur, qui ſingulas ejus ſpecies recenſere auſit; nec tantæ tamen amplitudinis iſta eſt, ut nullis omninò cancellis includi ſeſe patiatur; nec nobis omnium, quotquot unquam

quam deprehenſæ fuére; ſed potiorum ſaltim ac magis vulgarium rationem inire; nec, quæ ſuperiùs de ſubjecto ſunt fuſiùs adducta, repetere, animo ſedet: ille enim vel mille Herculis laborum molem foret exceſſurus.

Primarias verò calculorum differentias ſeu accidentia faciemus à *numerô*, *magnitudine*, *colore*, *figurâ*, *ſapore*, *odore*, *ſubſtantiâ*, *ſuperficie*, *ſymptomatum*, quibus affligit, *quantitate*; potiſſimùm verò à *ſubjectô* ſive *locô*, ac demùm à *cauſis*.

(1.) A *numerô* auſpicamur. Calculus in unô hoſpitiô modò unus hoſpitatur, modò duo pluréſve; quin centenarium & ultrà (inprimis ſi ſabuli vel arenæ adinſtar ſe ſiſtat) exceſſisſe numerum, ſufficienter conſtat.

(2.) Ratione *magnitudinis* magna quoque occurrit calculorum varietas. *Jam* enim vel arenæ ſabulíve formâ apparent, adeoque exiles; jam grandiores, amygdalum, ovum columbinum, imò gallinaceum & ferè pugillum æquantes, &c. *jam* grana aliquot, ʒß. ʒj. ℥ß. ℥j. & ultrà ponderant; integram interdùm libram abſolvunt. Certâ tamen experientiâ edocti veſicales utplurimum majores & grandiores eſſe renalibus, aliisve, confirmamus.

(3.) *Colorem* quod ſpectat, non amplectimur *Mercurialis*, *Fernelii*, *Campanellæ*, *aliorumq; plurium* mentem, qui in renibus, ob parenchymatis, quoad colorem, ſimilitudinem, rubros, in veſicâ verò albos gigni ſtatuunt; ſed variare dicimus illum colorem pro materiæ conſtituentis varietate, prout nempè jam ad ⦶, jam ad O, ⊕lum, aut aliam ſalis ſpeciem propiùs accedit, undè alii albi, alii rubri, ſubrubri, alii flavi, cineritii, fuſci, viridiuſculi, ſilicei coloris naſcuntur.

(4.) *Figuræ* ratione diſparitas maxima etiam occurrit. Provenit verò utplurimùm ab officinâ, ſive, cui inſidet, nidô. Interdum verò, ſi cavitas ſit amplior, figura accidentaria, vel planè incerta & irregularis oritur. Hinc etiam calculi quidam oblongi, ovales; alii ſphærici, teretes, lati, obtuſi, acuti, ramoſi, angulares, △lares, □lares, aſperi &c. *alii* animalium variorum ſpecies repræſentâſſe viſi ſunt.

Multi etiam non calamô; ſed ſtylô cœlatoriô deſcripti ſunt in obſervationibus Medicorum, *Foreſti* cumprimis, *Jouberti*, *Jordani*,

ni, *Bauhini*, *Geſneri.* Similes apud Academiæ naturæ curioſorum omnigenâ eruditione refertos codices videre eſt. Varietates quoque figurarum calculi à nobis *cap. 3.* deſcripti & delineati exhibent, & quidem utriculum ferè cum ſuis protuberantiis calculus renalis *Wigandinus Lit. R.* alius uncum quaſi baculo affigendum, *Lit. I.*; alius ovum columbinum *Lit. A. 2.* alius figuram penis maſculi *Lit. G.* repræſentant. Calculum renis, exactam muris figuram habentem, notavit & tradidit *Scherbius diſp. de calc. renum th. 22.*

(5.) *Saporis* & *odoris* ratio etiam non negligenda, quæ omninò attendi meretur. In his enim diſſimilitudo occurrit notabilis, à ⊖ium coagulantium diverſitate dependens, undè alius acetoſus, berbericus, ponticus & piperinus; alius verò inſipidus ferè inſtar cretæ; alius odoris expers; alius fœtidus, qualis dentium tophi, & veſicæ calculi; alius etiam mixtum mentitur odorem.

(6.) *Subſtantia* ſive corpus calculorum modò compactum eſt & cohærens, modò diſperſum ſive disgregatũ, & quidem modò majorib9, modò minorib9 glebis; & ſæpè ipſam arenã refert. Compactum & durum modò eſt adeò ſæpè, ut mallei vim ſilicis adinſtar renuat; modò rarum, molle, fragile, vel cretæ calcisve more friabile, ut vel lapſu in terram violetur, & levi pollicis attritu diffringatur. Huc ſpectant calculi interiùs duriores, nigricantes, exteriùs verò cruſtâ tophaceâ albâ incruſtati, quæ à medicamentis lithontripticis infeſtata cum urinâ excerni ſolet, & lamellas quasdam albas cretaceas repræſentat. *Alii* ſunt merè ſolidi, & ſecundùm omnes partes ſibi ſimiles; *alii* ex pluribus varii generis particulis quaſi contexti. *Spongioſum* interdum corpus calculi eſt laxumque, pro intenſiori nimirũ aut remiſſiori coagulationis ἐνεργείᾳ, ut & interdùm materiæ glutinoſitate & tenuitate, interdũ lapidis bezoardici vel humoris cryſtallini ſquamulas refert, qualia ſuprà adducta fuére exempla. Si ♀ multum 🜃æ exſuccæ & quaſi mortuæ habeat, cùm paucô ⊖le, facilè rumpitur calculus; ſi pluſculum ⊖is cum plure paucioreve glutine, compingitur magis & ſolideſcit calculus.

(7.) *Superficies* etiam diſcrepat: unde alii aſperi, ex arenâ quaſi compacti; læves alii: quidãm & læves & aſperi, diversâ tamen ſui parte reperti ſunt. Aſperi & ſimul inæquales vel anguloſi

maxi-

maximos, dùm vaſa penetrando terebrant, aut ſolummodò dùm moventur, dolores pariunt. Talem tamen aſperum à fœminâ citra ullam moleſtiam rejectum *in florilegio de nephritide* notavit *Unzerus lib. 1. c. 2. p. 9.*

(8.) *Symptomatum* ratione, quibus implicati ſunt calculi, inſignis quoque obſervatur variatio. Quidam enim minoribus, quidam majoribus; quidam rariùs, quidam frequentiùs, quidam continuò ſolent eſſe moleſti. Quidam planè indolentes, & occulti, ut poſt mortem demùm patuerit eorum præſentia. Tale exemplum de calculo ovo anſeris majore, omni ſilice duriore, nullas omninò de veſicæ calculo querelas cauſante proſtat apud *Heerium obſerv. 26. ſub finem.* Plura jam tacemus.

(9.) A *ſubjecto* potiſſima ſumitur calculorum differentia. Sic renes & veſica utplurimùm; hinc & ferè nullæ non corporis partes, imò & totius nonnunquam corporis habitus, ut in ſcorbuticis, calculosâ progenie laborant, non tamen unô eodemque ſemper modô affliguntur. Quà partes ipſas, quas obſedit calculus, e. g. renes, magna diſparitas occurrit. Alius enim versùs membranam parenchyma, alius ipſam ſubſtantiam renum, alius carunculas papillares cum pelvi & ſimul ureteribus, occupat. Compar ratio erit aliorum calculorum, lienem, hepar &c. infeſtantium. Veſicæ calculus modò inquilinus illi eſt, modò peregrinus, è renibus & ureteribus illùc detruſus. Hic interdùm fundum veſicæ, interdùm cervicem, interdùm latera tenet, & modò folliculis incluſus deprehenditur, modò non. Simile judicium de cyſtidis biliariæ, aliarumque cavitatum calculis ferendum.

(10.) *Cauſæ* quoque calculorum varietatem indicant notabilem. Sic alii ab hæreditariô vitiô, quidam ab incunabulis primordia ducunt; quidam diætæ accepti feruntur vitio; quidam deniq; à cauſis p. n. dependent, earundemq; pullagines exiſtunt.

CAPUT IX,

ſigna calculorum imminentium diagnoſtica ſcrutatur.

GRavis & cedrô digna eſt ab *Ammonio*, Philoſopho, qui ſecundi

 circiter

circiter à natô Chriſtô ſeculi fine floruit, & à *Trallianô*, 400. annis poſteriore, *lib. 8. cap. 9.* iterata ſententia: ὁ ἄειςα γνὺς, ἄειςα θεραπεύει, *qui benè cognoſcit, benè medetur.* Pariter & nos, hactenus cauſis calculorum evolutis, eorundem διάγνωσιν, ſeu quibus indiciis eorum præſentia explorari poſſit, ſcrutabimur.

Ampliſſimum hîc dicendi campum offendimus, ut, undè exitus pateat, vix pateat. Tantum autem abeſt, omnium calculorum microcoſmicorum, quacunque in parte delitеſcentium ſigna erui aut certò cognoſci poſſe, undè potiùs *Bapt. Sylvatici lib. 3. controverſ. 32.* ſententiæ, quâ calculi renum vix verum & perpetuæ veritatis ſignum pathognomonicum dari, ſed omnia, quæ dicta & ſcripta ſunt ab Autoribus, aliis quoque affectibus familiaria eſſe ſcribit, parùm abeſt, quin ſubſcribamus.

Nos, licèt non infallibilis ſemper ac perennis; plurimæ tamen & frequentiſſimæ veritatis ſigna, duce experientiâ, celeberrimorum ſcriptorum, ſedulâ providâque manu adnotata, ne cum ignotô planè hoſte, Andabatarum more, pugnare videamur, jam dabimus indagata.

Quemadmodum autem juxta πολυθρύλλητον illud, *tela prævisa minùs nocent*; ita pari ratione circumſpecta lapidei hujus hoſpitis ſubrepentis ac latibula quærentis exploratio, &, ne pedem firmiùs figat, prohibitio, majori ægrorum commodo verget, quàm, ſi ſemel admiſſus, remediis, quæ facilè eludere ſolet, exſtirpandus tandem ſit.

Imminentis calculi ſigna, utut ſæpè vix notabilia, pluribusque aliis morbis communia ſint; artificioſum tamen ςοχασμὸν locum ſubindè habere, calculique ſuſpicionem non fore fruſtraneam autumamus, ſi exactâ rationis trutinâ perpendantur:

(1.) *Cauſæ prægreſſæ*, tàm internæ, quàm externæ, eæque vel naturales, vel nonnaturales, vel præternaturales, ſuperiùs fusè recenſitæ, & conditionibus aſſignatis inſignitæ; quæ quò plures & potentiores fuerint, eò certiùs eundem imminere, præſagiri poterit.

(2.) *Excreta.* Sic juxta *Foreſtum lib. 24. obſerv. 22. in ſchol.* calculi renalis vel cyſtici futuri indicium eſt urina multa, craſſa, turbulenta, diu ſic & perſeveranter ſecreta. Item ☐ diu craſ-

ſa permanens, hinc ad conſtantem tenuitatem abiens; ut &, ſi □a ſit ſabuloſa, impendere coagmentationem calculoſam, conjicere licebit.

In genere verò notandum, λιθίασιν renalem & veſicalem futuram, στοχαστικῶς licet, certiùs tamen quodammodò & ſpecialius, præſciri poſſe, *tùm*, quòd ibi publica & ordinaria quaſi ſeroſorum totius corporis recrementorum ſentina ſit & confluxus, ac ſimul excretum ipſum pro lubitu tractari examinarique poſſit: *tùm*, quòd & partis illius ſitus & uſus impeditus conſtitutionem ſui præternaturalem faciliùs manifeſtet. Quibus accedit frequentia tàm radicata, ut, ſi calculoſi modò fiat mentio, ſtatim renes vel veſicam laborare concipiatur. In aliis verò partibus, profundiùs ſitis, obſcuroque tactûs ſenſu præditis, vix aut ne vix quidem humana induſtria calculoſa ſingulorum primordia penetrare, ſufficiens videtur; ſed geniti jam, vel grandes facti vix majorem, quàm incipientes præbebunt præſentiæ ſuæ ſuſpicionem. Cùm itaq; nihil hìc certi determinari poſſit, potiùs deſcendimus ad

CAPUT X,

calculi præſentis plerarumq; partium, ſpeciatim renum, indicia ſiſtens.

QVemadmodùm in terræ viſceribus metallorum mineræ quaſi germinant, terraque in viſceribus ſuis ſpiritu metallicô animatur & impægnatur, aut herbæ gemmulas duntaxat oſtendentes, vix aut ne vix quidem ſui internoſcendi copiam faciunt; producta verò & jam matura ſui notitiam ſiſtunt facilem: ita calculorum microcoſmicorum, profunda cumprimis adyta occupantium, geneſis humano ingenio vix certò ſolidéque penetrabilis; genitorum verò in quibusdam corporis partibus cognitio eſt eò certior, maximè, ſi ſubindè rejectio acceſſerit.

Signa Medicorum proceres diſpeſcunt in παθογνωμονικὰ & συνεδρεύοντα.

Παθογνωμονικὰ ſingularum corporis partium calculis omnibus

 bus

bus, ſolis ac ſemper familiaria ſigna, juxta indicata velle indagare, non humanum, ſed potiùs divinum opus videtur, cui humeros noſtros ultrò fatemur impares.

Si tamen conjecturæ locus erit concedendus, dictitantibus magnis naturæ magiſtris, *B. Sennerto lib. 1. prax. part. 1. cap. 18.* & *B. Rolfincio, ord. & meth. cognoſc. & curand. dolor. cap. lib. 2. ſect. 2. art. 1. part. 2. cap. 6.* ſi dolor fixus, non acutus, cum gravitate, ſine febre & excrementis, nullis cedens remediis, & chronicus, cum inclinatione nonnunquam in ſoporem, carum referente, qualem *Kerckringii, in ſpicilegio anatom. obſ. 35.* conſignata illuſtrat hiſtoria, non levis calculi *in capite* præſentis, nec fortè vana, erit ſuſpicio.

(2.) Calculum *in corde* arguunt crebriores cordis anxietates, palpitationes, lipothymiæ, □æ purulentæ per multos dies, renibus & veſicâ ſalvis, mictus, notante *B. Sennertô prax. lib. 2. parte 3. cap. 5.*

(3.) *Pulmonum* calculum arguit tuſſis ſicca, pertinax, diuturna, ad tabem usque nullis, vel efficaciſſimis remediis, cedens; præſentem verò manifeſtat calculorum vel tophorum cum tuſſi aut ſcreatu rejectio. Eadem ferè, teſte *Langio lib. 2. epiſt. 57.* & *tonſillarum* lapide gravidarum ſunt indicia.

(4.) *Ventriculum* lapidicinam intùs alere ſuſpicio eſt, cùm intolerabili crudeliſſimoq; frequenter & diù torquetur dolore. Vomitu verò rejecti calculi infallibile præbent ſignum præſentium plurium. De quô vid. *Svvalve querel. ventr. p. 218.*

(5.) *Hepar* λιθιᾶσει laborare ſuſpicionem ſuppeditare poteſt, dictitante *B. Sennertô lib. 3. part. 6. ſect. 1. cap. 6.* ſi ſcirrho majora & graviora adſint ſymptomata; dolor etiam, quò membranæ fuerit propior calculus, eò magis infeſtet.

(6.) *Veſicam fellis* lapillis premi opinione licet augurari, ſi continua ſub hypochondriô dextrô tormina, vomitus item, nauſea, durities alvi, aliáve enormia, cyſtidi obſtructæ alias familiaria ſymptomata adſint, quæ ſæpè tam gravia & confuſa ſunt, ut peritiſſimis etiam medicis aquam hærere faciant. Inprimis verò icterus gravis, diuturnus, medicamentis efficaciſſimis legitimeque

meque applicitis non cedens, certum ſatis folliculi fellei calculos continentis argumentum eſt.

(7.) *Lienis* à calculo incommodationẽ conjicere licebit ex ſignis & ſymptomatibus ſcirrho communibus; ſed ſubindè contumacioribus. Icterus quoque niger tunc aliquando affligit.

(8.) In *inteſtinis* ſtabulari calculos exin conjiciendum, ſi colica ſæviens & indomita cum ponderis & duritiei ſenſu crebris urgeat inſultibus, cui individua ferè alvus conſtipata comes eſt.

(9.) *Partium aliarum* recenſitarum, in praxi rariuſculè licet occurrentis, lapidicinæ, conſpirantibus inprimis cauſis, ſubjectorum διαθέσει, aliisque pro re natâ circumſtantiis conſentientibus, conjectura interdùm non adeò obſcura aut profunda accurato medico eſſe poteſt: nullius tamen calculi, in quacunque etiam corporis parte is hæreat, frequentior & quà ſedem eruenda facilior eſt carnificina, quàm ſeri ſecretioni & excretioni dicatorum viſcerum, renum nempè & veſicæ urinariæ. Potior itaque, quia crebrior id flagitat uſus, & curioſior horum dignotio & cura nobis erit cordi.

(10.) *Renum* ergò è calculô morbus ſive nephritis (I.) SIGNIS ἐκ τῶν ἐνόντων κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον, *eſſentialiter inhærentibus* ſive *pathognomonicis*, uti ſuo ſorex indicio, ſe prodit. Eminet inter ea

1. *Arenularum* vel *ſimilis materiæ tophaceæ ſive ad lapidis naturam accedentis excretio*, plurium pauciorumve, in principio inprimis, prout calculus major minórve, compactior aut friabilior fuerit. Uti verò non omnis arenularum quarumcunque mictus infallibile calculi renalis aut veſicalis ſignum dici poteſt: ita vix aut ne vix quidem nephritis vel fiens vel facta, abs omni arenularum aut alioqui ad calculi genium accedentis magmatis urinæ innatantis mictione obſervatur. Notas autem arenularum calculi prodromorum ab aliis ſterilibus diſtinctivas nervosè proponit *B. Sennertus lib. 3. part. 7. ſect. 1. cap. 6.*

2. *Moleſtus ſpinæ dorſalis* in flexurâ lumbari, maximè dùm corpus incurvatur, modò in dextrô, modò ſiniſtrô, modò in utroque latere, isque magis gravativus, interdùm acerbus, terebrans, acutus, & locum non mutans, *ſenſus*. Eum enim eô locô

 renes

renes cùm habeant ſitum, ut inflexô corpore vel quodammodò comprimantur, vel alioqui ſubindè motitentur, calculus, grandior præſertim aut acutior, in cubili quaſi ſuo turbatur, magisq; transverſum ſitum occupat, undè & renes & vicinas partes incommodari, crabronesque irritari quàm facillimum eſt. Hinc etiam eſt, quòd opifices, tanquam claudi ſutores, ut Plautino utar jocô, domi continuò ſedentes, ſartores, ſutores, textores, aliique, ætatem virilem ſæpè nondùm transgreſſi, de dolore lumborum, difficilique dorſi flexurâ, & hinc ſuccedentibus annis de perfectâ nephritide tàm frequentes moveant querelas.

3. *Urinæ* vel *cruentæ*, vel κακοχρόου, vel *doloroſa, nulla* vel *nimis crebra* redditio. Prout enim calculus in rene alterutrô vel utrôque ſedem & incunabula ſibi fecit, ita & veſicæ levatio benè vel ſecùs procedit. Sic ſi pelvim oppleat, vel ureterum oſtium obſtruat, urinæ ſuppreſſio vel difficultas non fieri non poteſt. Sin acutus, aſperque ſit, venamque laceret aut vulneret, ἀπὸ ταὐτομάτου αἵματος ἢ θρόμβων οὔρησις, *ſpontaneus ſanguinis aut grumorum mictus, 4. aph. 78. & 80.* ſubſequitur; vel renum ſubſtantiam attritu ſauciet, atteratque, ἐν τῷ οὔρῳ παχεῖ ἐόντι σαρκία μικρὰ ἢ ὥσπερ τρίχες ξυνεξέρχονται, *cum urinâ craſsâ carunculæ exiguæ, vel fibrulæ veluti pili, juxta aph. 76. lib. 4.* ſecedunt.

4. *Crurum ſtupor* & *femoris obdormitatio* quoque obſervatur. Hîc accuſamus muſculum lumbarem, pſoas dictum, renibus proximè ſubſtratum & femoris muſculis implexum, ſicque flexuram corporis inter abdomen & femur promoventem, preſſum, nec, uti par eſt, dilatare & conſtringere ſe propter onus incumbens valentem, undè nervi labaſcunt vigoreque ſuô minuuntur.

Ἐκ τῶν ἐξ ἀνάγκης ἑπομένων *ex neceſſariò conſequentibus* eminet

1. *Teſticulorum versùs ſuperiora*, ſic, ut nullum eorum ſæpè appareat veſtigium, *retractio* obſervabilis, ob continuam renum & ureterum cum vaſis ſpermaticis productionem & intimam cohæſionem. Uti enim & muſculorum & ligamentorum omnium motus planè naturalis eſt ſui relaxatio ſeu contractio, & parte quapiam dolentes ex illius laxatione lenimentum quærimus; ſic &

Archéus moleſtô hôc renum hoſpite exacerbatus auxiliares ad ſuppetias ſibi ferendas convocat è vicinis copias, vel contortô ſæpiùs in globum totô corpore ſolatium invenire ſtudet, quod & in colicis indies obſervare licet. Nec mirum, renibus malè habentibus affligi teſtes, cùm vice versâ notum ſit lippis & tonſoribus, Veneri nimis litantes, lumborum vel potiùs renum ſentire moleſtiam.

2. *Nauſea* & *vomitûs* hîc præſentis ferè eadem ratio eſt. Ut ſpecialiùs rem explicemus, nervulis ſexti paris eundem adſcribimus, qui tùm ventriculo, tùm renibus ſunt communes, ſimulque peritonæo impliciti, quô de utrumque viſcus participat, & ſibi invicem adhæret. Legi de his meretur *Langius lib. 1. epiſt. 45.* Undè irritatio connectentis membranæ cùm fit, aut compreſſio, neceſſariò invicem patiendo conſentiunt. Id quod in aliis talismodi conſenſualibus, ſtomachi oblæſionibus v. gr. capitis, hepatis, diaphragmatis &c. vulneribus, inflammationibusque obſervatur indies.

Inter συνεδρεύοντα, *adſidentia* ſigna referenda venit *alvi ſuppresſio*, quâ dùm inteſtina & in ſpecie colon, diſtenduntur, gravantur, non aliter fieri poteſt, quàm ut renes ureteresque comprimantur & tali compreſſione dolores augeantur. Et licet videatur hæc ſuppreſſio alvina ſoboles eſſe hypochondriaci morbi, qui individuus & quaſi germanus nephritidis frater eſſe ſolet, attamen dolores reddere valet vehementiores & tenaciores.

Cap. XI

calculi veſicalis ſigna eruit.

UTi non intellecti nulla eſt curatio morbi; ſic hîc lapidis cyſtici præſentis, quantum à renalis ſignis diſtant, indicia rimabimur, ut facilior curatio fiat.

Parili verò modô diſtinguenda hæc ſunt in *eſſentialia* ſ. *pathognomonica* & *poſteſſentialia.*

Inter ESSENTIALIA juxta *Heerii obſ. 27. lib. 1.* placitum referimus:

1. *Siquis*

1. *Siquis egeſturiendo mejat & mičturiendo egeſtariat*, accedente maximè urinâ lactcâ: idque intimæ veſicæ ac longanonis viciniæ damus, dùm hic ſcybalis turgidus illam; illa urinâ lapideque diſtenta hunc premit. Et hinc fit, quòd teneſmo vexentur ægrotantes.

2. *Gravitatis ſenſus, pruritus aut dolor in pube, pectine, perinæo*, maximè ſi fortè ad lapidem offenderit æger imprudentiùs. Membranoſum enim veſicæ corpus ac totum ferè nerveum, atque hinc exquiſitiſſimi ſensûs, calculum vel leviter motum percipit, &, ſi fuerit aſperior aut alioqui acutioribus tuberculis præditus, aut quaſi montoſus, de facili atrociſſimis vexari cruciatibus, in aprico eſt. Adde, quod & calculus ſcabritie ſuâ mucaginem veſicæ obductam abradere & leviter turbatus ſic cruciatus exacerbare valens ſit.

Circa 3. *arenularum* excretionem, & 4. *lotii* vel excreti vel excernendi vitia, præter anteà enumerata, nihil hîc occurrit notâ peculiari dignum.

His adnumerari poterit *exploratio cum cathetere* vel cereô, vel metallicô, ex argentô, plumbô &c. facta, ut dura calculi ſubſtantia obſervetur, niſi pelliculâ ſingulari, cujus mentionem facit *B. Rolf. epit. cogn. & cur. part. corp. aff. lib. 3. cap. 19.* incluſus impediat calculus: aut ſi digito in anum intruſô exploretur; quæ quidem exploratio dolorifica eſt, & non raro inflammationem, imò gangrænam parere ſolet, juxta *Hornium microtechn. part. 2. ſ. 1. §. 21.*

Postessentialia ſive *concomitantia* ſigna ſunt

1. *Dolor gravativus* poſt lapidem aut ceſpitando aut urinam reddendo inopinatò motum: tunc enim calculum ſuô locô d motum & concuſſum, prout acutus, aſper aut obtuſus fuerit, veſicæque membranas laceſſiverit, dolorum talium feracem fore in proclivi eſt; vel etiam Archeo loci iſtius ab urinâ congeſtâ ſtimulato, dolores hi, dùm calculus, ut res peregrina, ſimul ad exitum ſolicitatur, adſcribi poſſunt.

2. *Dolor* & *pruritus* nonnunquàm *ſatis acerbus* circa nominata loca; nonnunquàm & colis ſive virgæ tenſio frequens eſt: ob perpetuum quaſi Archei ibidem loci infixum; quietum tamen, ſtimu-

ſtimulum, qui pruritus poſtmodùm augeſcente calculo in cruciatus inſignes tranſit.

3. *Urinæ difficultas* vel *ſuppreſſio* , prout calculus colli veſicæ cavitatem vel totam, vel ejus partem plus minus oppleverit: ſubindè &, ſi acutus ſit, cyſtidemque læſerit aut vulneraverit, mictio cruenta infeſtat.

4. *Magna mejendi cupiditas* ob temerariam veſicæ nimium diligentis contentionem.

5. *Urina* paroxyſmi inſultu *pauca, tenuis*, & interdum planè *limpida*; poſteà copioſa, turbida, arenulis, & nonnunquàm cruore conſperſa, ob limi ſalſuginem, vel potiùs, ut vult *Helmontius de lith. cap. 2.* ob peregrinum aciditatis cujuspiam tantillæ fermentum urinæ admiſtum, ſtranguria.

Addit his *Hippocrates lib. de aere, aquis & locis*, 6. *inquietudinem*; ægri enim vix quieſcere poſſunt; ſed crebrò moventur, & crura alternatim movent, ob peregrinum illi loco hoſpitem, continuò, citra notabilem tamen dolorem, quouſque veſicæ continuum non ſolvit, laceſſentem & mordicantem.

Nonnunquam 7. *veſica inflammatur*, quoad ejus partem membranoſam, cùm calculus acutior fuerit, illam læſerit, profundiusque afflixerit.

Signa plura recenſere nephritidi communia, ſupervacaneum putamus, cùm è practicorum libris nota ſint.

A CAUSIS deſumta calculorum indicia non ſunt erutu difficilia, modò Medicus de omnibus vel ab ægrotante, vel ab adſtanbus fuerit certior factus circumſtantiis. Πολυζητῶν proindè ſit medicus, & diligens omnium circumſtantiarum hîc neceſſariarum expiſcator, undè curationi tutò, citò & jucundè perficiendæ non parum additur luminis.

A SIMILITUDINE deſumtæ notæ etiam nobis de præſenti calculo oſtendunt certitudinem. Ita medicus, qui alioquin omnia prænumerata calculi vel renalis, vel veſicalis ſigna in curatione cujusdam obſervavit, etiam nunc eadem talia in ægroto quopiam obſervet, certior fit de præſentia calculi. Et ſic ulteriùs eadem remedia, quæ anteà propinavit aliis cum emolumento, iterum valebunt.

G CAP.

CAPUT XII

dignotionem calculoſæ affectionis à confinibus aliis inſtituit.

NOtum eſt in ſcholarum triviis vulgatiſſimum dicterium : *Qui bene diſtingvit, bene docet.* Nos foro medico, cumprimis huic noſtro negotio idem accommodabimus, flexô ſolummodò vocabulô dicentes : *qui bene diſtingvit, bene curat.*

Tanta etenim lithiaſeos, quâcunque etiam in parte hæc vel ſit, vel incipiat, cum aliis affectibus obſervatur conſpiratio, colluſio aut conſenſus, ut etiam peritiſſimum Argóve oculatiorem fallere queant medicum. Signa proinde calculum ab aliis diſcernentia hîc tradidiſſe, curationem & feliciorem & certiorem faciet.

Ita *quidam* è meliori ſexu ſiliceum in cerebro alebat hoſpitem, dolores immaniſſimos, nullis nec generoſiſſimis, medicamentis cedentes inferentem, quem apertio poſt mortem demùm patefecit.

Nec abſolutè cogitandum, cordis anguſtias, rigores & incaleſcentias ſemper eſſe ſigna febris, quæ alexipharmaca ſudorifera expoſcit, ſed calculorum comites; nec ſyncopen fuiſſe vulgarem, quæ omnibus in caſſum tentatis tandem calculum poſt mortem indicavit; nec tabem eſſentialem ſemper eſſe, ſed ſymptomaticam, quæ modò univerſalis, modò particularis à calculis dependere poteſt, dùm illi viſceribus in-vel adhærentes ſangvinis elaborationem, depurationem & diſtributionem impediunt. Horum præſentiam indicant cauſæ prægreſſæ, ſymptomatumque aliorum ipſis calculis familiarium συνδρομή.

Sæpiùs etiam fefellit, fallitque adhùc ſæpè medicos prudentes dolor colicus, qui eſſentialis fuit habitus, eique excogitata ſunt, ſed fruſtrà, oppoſita medicamina. Hic etenim propter renes à calculo turbatos excitatur, dum colon reni alligatur, eâdem gaudet membranâ exteriori, quâ renes cincti, ab eôdemque pare nervos habent communes; hinc facillimus conſenſus. Ne verò

inpo-

inpoſterum errore tali corripiantur medici, *Galenus* ſatis accuratè eundem detexit, & utriusque adfectus diſcrimina propoſuit *lib.2. de locis aff. c.5.* Etenim (1.) *nauſea, vomitus, flatusque* nephriticis minùs, colicis verò magis,ſunt efferati, frequentes ac crudi, propter pituitæ corruptæ copiam. (2.) *retinent magis excrementa, colici,* ut nec flatum, nec ructum, nec ſcybala emittere queant, ob tranſitum ſpiritibus iſtis ſilveſtribus ſurſum deorſum interclusum. (3.) *Colicus dolor magis vagus eſt, quàm nephriticus* & ampliorem inſimul locum, & quidem notante *Heniſchio in Aretæum, p. 404.* ſiniſtrum magis occupare, peregrinari & per omnem inteſtinorum circuitum oberrans in pectinem declinare ſolet ; nephriticus verò pali adinſtar infixi cedere neſcit, niſi calculô per ureteres deſcendente. (4.) *Dolor in locô renibus altiore colicus ; in renum regione fixus,* ſignis conſentientibus aliis, *nephriticus* eſt. (5.) *Nephritici* αἱματῶδές τι οὐρέουσι ; *cruentam reddunt urinam,* nonnunquàm, maximè poſt vehementius corporis exercitium, laborem puta, ſaltum, equitationem duram, curſum &c. in colô autem ſi ſubſiſtat affectus, neque lapis, neque ſangvis, nec arena ſubſidet, ſed alia inteſtini affecti aderunt indicia. (6.) *Arenulæ minguntur in nephritide ; non verò ita in colicâ,* in quâ, notante *Tralliano lib. 9. cap. 4.* copioſius quidem ſedimentum eſt ; minus tamen ψαμμώδης. De arenarum mictu, *an lapidis det indicium ?* ut &, *ſalubriúsne ſit arenam mejere, nec ne ?* acris agitatur *inter Autores* controverſia, quam quidem diremiſſe videtur ex parte *Charleton, c. l. p. 118.* ψαμμῶδές τι mingi ſæpe conſpicitur ab hypochondriacis & ſcorbuticis ; id tamen non ſemper calculoſæ eſt proſapiæ, cùm ⊡æ miſceatur exactè, & frigefactâ demùm hâc, vaſis adhæreſcat lateribus ; nec tàm promtè ſubſidat, uti ψάμμος, *arena vera.* Præterea notante *Riverio prax. lib. 14. cap. 1.* digitis conteri poteſt, & ad ⊖inam potiùs conſiſtentiam proximè accedit; nihilominùs tamen & reverà τὴν ψαμμώδεα *arenam lapidoſam* lotiô reddi poſſe juxta colicam, οὐκ ἄτοπον, non abſonum eſt.(7.) *Colicus dolor injecto clyſtere carminativô facile miteſcit, nephriticorum non item :* alia namque utriusque ſedes eſt, aliaque cauſa, remediis hinc diverſis impugnandi.(8.) *Dolor item colicus ſubitò ſolet invadere ;* nephriticos verò paulatim incipit cum dolore dorſi & ⊡æ diffi-

difficultate, augeturque usq; ad finem. Præterea quamdiu in renibus quieſcit calculus, dolor non eſt acutus; ureteres autem ingrediens non poteſt eosdem non dolore ſummô afficere; meris enim calculus particulis inæqualibus aſperis rhomboidibus ope microſcopii gaudere viſitur, quod dudùm *Gaſſendus in vita Peireſcii* adnotavit. His (9.) *dolorem à cibô ſumto auctum* in nephritide addit ex mente veterum *Charleton c. l. p. 114.* ſcilicet vacuatione quâvis & ſurſùm & deorſùm colicum leniri, quandoque integrè ſedari, non nephriticum, is enim inanitionis etiam tempore fit, h. e. manet fortis, conſtante adhùc lapidis ſtimulô, doloris causâ: ſic cibô ſumtô multò exacerbatur acriùs nephriticô dolore colicus. Subnectit *idem c. l. p. 119.* (10.) *ſtuporem femoris κατ' ἴξιν*, & teſticuli è regione ſiti contractionem, nephriticis tantùm, nec omnibus, maximè familiarem; quæ tamen utraque in colicâ non obſervantur.

Nonnunquam *inflammatio renum*, quæ ſtrictè ac propriè *nephritis* dicitur, (in medicorum enim ſcholis omnia nomina in *itis* inflammationem vel calorem p. n. denotant, e. gr. phrenitis, pleuritis, arthritis &c.) calculi larvam induit; fucum verò deprehendere licebit, ſi, duce *Charletone l. c. pag. 128.* attendantur ſequentia:

(1.) In phlegmone renali ardor ingens ab extremis coſtis ad coxendicem perſentitur.

(2.) Dolor tenſivus, gravativus, & per intervalla pulſatorius, eò loci percipitur, qualis ferè in eryſipelate, aliisvè inflammationibus ſubindè obſervatur.

(3.) Febris adeſt, utut inordinata, noctu magis adfligens: omnes enim morbi, *Carolo Piſone teſte*, à ſeroſâ colluvie ducentes originem (quò pertinent etiam omnes inflammationes) noctu exacerbantur.

(4.) In renum phlegmone frigus extremorum nonnunquàm infeſtat, febri adhuc in vigore conſtitutâ.

(5.) Succeſſu temporis, pure jam confectô, miteſcunt hæc omnia.

(6.) Granulorum, ſangvinis thromborum, lapillorum in verâ nephritide notatur in urinâ abſentia, ſecùs in vulgò dictâ.

(7.)In-

(7.) Inflammatio conſentientibus aliis ruborem ſubindè habet conjunctum extrinſecùs; renum à calculô obſeſſio minùs.

(8.) Renibus inflammatis ⊡æ plerumque jungitur ſtillicidium, ſecùs in calculô, niſi is in ureteres ſeſe demittat.

Urinæ ſtillicidium, ſi dubium ſit, unde proveniat? motô, imò inversô agitatôque interdum corpore, ſi iterùm ſolitô fluat rivô, à calculô productum fuiſſe, indicatur.

SCORBUTUS & AFFECTUS HYPOCHONDRIACUS lithiaſeos veſte ſæpiculè ſeſe ſiſtunt, ſic ut ægrè ſubindè diſcerni queant: quorum tamen *ille* indiciis, quibus prodere ſe ſolet, pateſcit; *hic*, ſocius quidem nephritidis ferè ordinarius, in curatione non multum disjungitur, ſed cùm ferè pari paſſu ambulet cum ipsâ nephritide, eadem penè exſpectat remedia. Arenularum etiam in utrisque excerni ſolitarum differentias & διακρίσεις ſuperiùs dedimus.

CAPUT XIII
calculi prognoſin continet.

PRædictiones admirabilem reddere medicum, ſummamque ipſi polliceri autoritatem, ventura monendo, pericula præſagiendo, ἀνίατα relinquendo, ſummi medicorum duces tàm priſcæ, quàm modernæ ætatis dudùm cum emolumento famæ obſervârunt.

Vitio proindè nobis non vertendum, ſi & lithiaſeos prædictiones perluſtremus, quæ triplicis habentur generis, ſingulatim inſpiciendæ.

Prima claſſis SALUTEM & INTERITUM examinat. Huc quadrat generale effatum *Hippocratis lib. 1. de morbis*, de renum morbis prolatũ, quod quàm maximè ad totam corporis humani lapidicinam extendi poteſt: ἐνδοιαστὰ δὲ αὐτὰ ἀπολλῦναί τε καὶ μὴ, *eventûs dubii ſunt, ad perniciem dare, vel non*, hepaticus, ſplenicus affectus, renumque morbus.

Ita morbi *magnitudo* & *motus* periculum variat. Magnitudo diverſimodè conſiderari poteſt:

1. *ratione ſubjecti* ; quò nobiliores & plures calculô ſunt obſeſſæ partes, eò periculoſior morbus. Sic ſi cor, arx vitæ regia, ſit occupatum lapide, vel levi occaſione illud expugnatum iri, metus eſt momentaneus. Ita periculoſior eſt in vaſis & viſceribus ſangvinis depurationi vel diſpenſationi dicatis: periculoſior renum, quàm veſicæ calculus. Minùs verò periculoſus, qui partes carnoſas, quàm qui nerveas, membranaceas, cartilagineas &c. infeſtat. Minùs quoque periculoſus eſt, qui partes in perpetuâ quiete conſtitutas, quàm motui dicatas, aut his ſolummodò vicinas, occupat. Summatim: quò nobilior aut principalior pars, quæ hîc afficitur, eò periculoſior habenda lithiaſis.

(2.) *ratione ſymptomatum:* Quò pluribus & gravioribus eſt ſtipatus ſymptomatibus calculus, in quâcunque corporis parte, ſive, quò magis vires lædit & actiones turbat, eò majus portendit periculum, & contrà. Ita, tenore *aphor. 26. lib. 7. propter vehementem dolorem partium ad ventrem ſpectantium* (quò & dolor à calculô referri poteſt) *extremarum refrigeratio, malum.*

(3.) *ratione cauſarum:* quò plures enim ad generationem calculorum conſpiraverint cauſæ, eò gravior & difficilior erit eorundem curatio, & contrà. Ita, ſi malum hæreditarium ſit, ægrè præſervari, ægriusque pòſt curari poterit; licet enim bis, terque quaterque fuerit expulſum hoc, rediiſſe tamen obſervatum eſt. Et quadrat huc vulgatum dicterium: *naturam expellas furcâ, tamen usque recurret.* Siquidem humana nondùm hucusque penetravit induſtria, rerum eſſentiam in primâ ſuâ radice pervertere. Hinc non minùs lepidè, quàm verè *Eraſmus epiſt. 21.* Facilius eſt, uterum à pariendo prohibere, quàm calculoſos renes à calculô vacuare. Sic in ætate juvenili ſemel excluſi calculi facilè regenerari poſſunt. Ætas verò ſenilis difficilè admodùm renum & veſicæ calculorum curationem admittet, teſte *6. aphor. 6.* Ratio hæc eſſe poterit, quòd calor in ſenibus ſit langvidus & debilis magis, & urina acrior; ♒tus enim, ⊖lium aliàs correctores & mitigatores cùm deficiunt, eadem luxuriare faciunt. Imò, *lib. 6. epidem. ſect. 8. lib. 4. Cous* renum vitia ſupra quinquageſimum annum, ſanata, ſe non vidiſſe ſcribit.

In tenellâ adhùc vel paululùm provectiore ætate, modò calculus

culus non tàm amplas aut nimis firmas egerit radices, facilior medela eſt ſperanda. Et hæc facilior in ſexu muliebri, quàm virili, ob laxiora, ampliora & breviora vaſa.

(4.) *ratione calculorum ipſorum:* Hi cùm ſilicei, grandes, vel in loco, omnem inſtrumentis aut medicamentis aditum denegante, hæreant, curationem ferè omnem reſpuunt. Aſperi, ſcabri, anguloſi ſunt dolorifici; unciformes, notante *Helmont. de lith. cap. 7. t. 2.* lethales. Parvi, læves, non admodùm duri, rotundi, obſequentes, vel arenæ ſpeciem adhùc referentes faciliorem ſpondent curationem.

(5.) *ratione circumſtantiarum aliarum:* ſic ulceris præſentia difficillimam reddit; imò ſæpè impoſſibilem, curationem. Interdùm etiam in fiſtulam abiiſſe idem obſervatus eſt. Sic diutina urinæ & alvi ſuppreſſio malum exaſperare valet, cordique in progreſſu negotium faceſſit. Si medicamenta generoſa legitimè adhibita nihil juverint, vel ægrum in pejus dederint, malum.

LONGITUDINIS & BREVITATIS ſigna patent itidem (1.) à *ſubjectô.* Quò nobilior pars eſt obſeſſa à calculô, morbum eò breviorem fore, colligendum, & contrà. In genere verò calculorum morbus cùm tractu temporis & ſenſim generetur, vixque notabilibus ſeſe ſymptomatibus, & admodùm obſcurè, prodat moveaturque, chronicis adnumeratur, indeque vel non, vel rariſſimè admodùm præſentaneam vitæ vim infert: quin ægros non rarò ad ſupremum usque vitæ, vel Neſtoreæ halitum comitatur.

(2.) *à cauſis:* hæ quò plures fuerint & graviores, eò citiùs ſtatus eſt expectandus, hôcque modô diutiùs & impenſiùs cruciabit calculoſus tortor, & contrà.

(3.) *è ſymptomatibus:* Mitiora, rariora, & tolerabiliora longiorem; graviora, frequentiora humeriſque humanis vix aut non ferenda, breviorem vitæ mortisve exitum ſpondent.

(4.) *ab excretis:* quibus bullæ in urinâ natant, nephritica mala, diuturnamque ægritudinem ſignificant, *7. aph. 34.*

(7.) *à calculis ipſis:* quò magis ſunt quieti, læves, molles,

quæ

quæ parti, cui inſident, nullam notabilem vim inferat, præditi, actioneſque manifeſtò non lædentes, eò longiorem ; contrariô modô habentes breviorem morbum promittunt. Sic duri, ſilicei à medicamentis non diſſolubiles, vel in partibus remotis hoſpitantes, non niſi cum vitâ deſtiturum morbum prænuntiant.

(6.) *ab aliis accidentibus:* ſi calculus medicamentis ritè & cum ratione adhibitis cedit, citiorem; ſi minùs, tardiorem morbi auguramur exitum, niſi inſtrumentorum vi, viâ factâ, hoſpes ingratùs ac ipsâ moleſtiâ moleſtior ejiciatur. Si ſemel curatus iterùm iterumque redeat, morbi quoque longitudinem id portendit: omnis enim recidiva, juxta Arabum canonem, ſuâ radice ſemper eſt deterior.

MODUS EVENTUS variè variat. Tria tamen ejus ſumma conſtituuntur genera. *Vel* (1.) λιθίασις terminatur ad *ſalutem* perfectè; *ſive* naturæ beneficio, quod in fœminis ſæpè contingit; *ſive* medicamentorum efficacium inſtrumentorumque auxilio. Vel (2.) *ad mortem,* calculorum nimis ſæviente tyrannide, viribus naturæ fractis, actionibus corporis principalioribus non ampliùs ſufficientibus; verbô : naturâ penitùs ob morbum ſuccumbente. Vel (3.) *in alium morbum,* eumque modò tolerabiliorem, modò graviorem.

Calculoſus autem morbus, cùm ſit è chronicorum numerô, frigidiſque ac lentis accenſeatur, λύσει terminari ſuevit, & quidem *vel in melius* ad ſalutem morbumve tolerabiliorem, aut graviorem licet, non tamen tàm diuturnum, & qui recedens priorem ſimul aufert; *vel in deterius* ad mortem morbumve ſeipsô vel graviorem, vel æquè gravem, idque vel priore manente vel recedente.

Ad ſalutem terminatur calculus (1.) quando beneficæ naturæ robore calculus vel gignendus vel genitus per vias conſvetas, urinarium meatum, alvum, os, nares, aures &c. ſenſibiliter per ſabuli excretionem evacuatur, & hinc ejus regeneratio diætâ conveniente & eâdem benignâ matre, naturâ, cooperante prohibetur, ſuccedente priſtinâ promtâ actionum omnium integritate.

(2.) quando medicamentis convenientibus legitimè exhibitis lapis microcoſmicus diffractus vel planè ſolutus, aut mole parvus ſit, integer per loca competentia expellitur, ejusque

repul-

repullulatio decenter præcavetur, corpore poſthâc functionibus ſingulis naturaliter & legitimè vacante.

(3.) quando neutro horum remedio exoptata ſanitas impetrari poteſt, ad inſtrumenta chirurgica (modò de calculi præſentia conſtet, & locus iis non ſit inacceſſus) confugiendum, iisque pars à calculo obſeſſa, & in miſeram cruciatuum ſervitutem redacta, libertati, auro non contra caræ, vindicanda, vulnusque hinc inflictum dextrè & ſedulò percurandum.

In morbum alium terminatur, minùs tamen crudelem, quique magis eſt ferendo, quando v. g. hæmorrhoides ſuperveniunt nephriticis, argumentô *aph. 11. lib. 6.* Ita calculo pulmonum, obſidenti bronchia, reſpirationemque impedienti tuſſis & calculorum ſcreatus ſuperveniens bono eſt. Et ictero, ob hepatis aut cyſtidis felleæ calculum detento, ſi calculoſæ alvi dejectiones ſuperveniant, morbum ſolutum iri ſpem faciunt.

Dubius eventus, & ſpem inter & metum ægrum verſari, prædicitur, ubi morbus calculo quidem gravior, non tamen ita diuturnus, & priorem ſimul tollere valens, oriatur.

Sic non raro pars calculum penes ſe alens ulcere ſive abſceſſu prehenditur, quô quidem natura ſæpiculè ad eliminandum hunc hoſpitem utitur. Uti feſtucas, globulos, tela & hujus generis alia, ita pariter calculos excitatô ulcere excludere nititur: quòd, ſi valens ſit, morboque ſuperando ſufficiens, factoque pure ſymptomata remittant, victoriam; ſin minùs, cladem præſagire licebit. Signa talia futuri abſceſsûs renalis an intùs, an foris ſit futurus, adnotavit *Cous 7. aph. 36.*

In deterius finitur calculus, *quando in morbum ſeipsô graviorem abit:* ita ſi vires dejiciat, ſomnum arceat: item, ſi ſectio malè cedat, ſi inflammatio accedat, aut indomabilis hæmorrhagia ſubſequatur, &c. Sic etiam comitari ſolet ægrotantes ad interitum, quando renum fit exulceratio. Conatur quidem natura tali modô liberare renes à calculis; verùm parenchyma ipſorum conſumitur, vigor naturalis perit, tandemque tabes renalis ſupervenit. Fidem totalis exulcerationis in utroque rene, majoris quidem in ſiniſtro, minoris in dextrô exhibuit & firmam reddidit virgo, cujus mentio facta eſt ſuperiùs *cap. 3.* poſt obitum à calculô veſicæ in gynæceo aulicô adaperta.

 (2.) *quan-*

(2.) *quando in æquè gravem adfectum mutatur.* Nephritici enim ſæpiùs fiunt podagrici, arthritici, quod dudùm obſervavit *Marcellus Donatus hiſt. med. mirab. 4. cap. 10.* & adhùc creberrima experientia Dn. D. Præſidis aliorumque teſtatum facit. Μεθάςασις talis levamento renibus eſſe poteſt, ad exteriora minerâ hâcce, quæ eadem eſt arthritidis & calculi, relegatâ. Et ſæpiùs obſervatum, præſertim ubi malum utrumque inveteratum, quòd ceſſante arthritide, nephritis iterùm repullulaverit, & contrà. Imò accidit, ut etiam maneat uterque morbus. Ita phthiſis perfecta à calculô lethalis eſt. Icterus à calculis originem ducens, his non remotis, omniaque remedia reſpuentibus, mortem inferre valet. Calculum veſicæ curatum ſequi ſolet non raro involuntaria urinæ mictio, & renum curatum eorundem debilitas.

Ad mortem terminatur μαρασμῷ, tabe ſive marcore partis adfectæ, ſive nobilioris, ſive ignobilioris, diuturnitate tamen affectûs nimis preſſæ & planè ſuccumbentis. Sic ſi per nulla medicamina levamen ſentiatur, extrema frigeant, ſudore facies madeſcat frigidô, &c. mors præcordia pulſat.

Caput XIV

ad methodum medendi progreſſum facit.

Omnibus illis, quæ ad hiſtoriam & cognitionem calculorum faciunt, perluſtratis, ſupereſt, ut eorundem è corpore exterminium meditemur, & inſtrumentorum, quibus id exſequi conceſſum eſt, apparatum adponamus.

Quemadmodùm autem hoſtem quempiam, furiosè limitibus noſtris minantem adgreſſuri conſilia captamus, quî, & quâ viâ mediisque ipſi ſit occurrendum, aut ipſius ſit ſuſcipienda profligatio: ſic durum hunc hoſpitem infenſumque vitæ noſtræ hoſtem debellaturis id non ſine prævio conſiliô procedendique methodô audendum; alioquin arma noſtra, valida licet ſatis, intempeſtivè tamen ſuſcepta, non ſolùm eludet; ſed & eadem in nosmetipſos ſtringet & diriget.

Con-

Conſilia autem hæcce anteſignanis medicorum audiunt MEDENDI METHODUS, quæ eſt ſcopus & meta, quam animo gerit medicus perpetuò, ad quam omnes curationis actus dirigit, à quô ſolidè poſitô rebusque legitimè conſtitutis vix aut nunquàm ipſi recedendum.

Nititur hæc veluti fulcris, certis ſuis indicationibus: *curatoriâ, præſervatoriâ & vitali.*

CURATORIA circa lapidem jam factum occupatur, eumque, cùm, quantumquantum ejus eſt, penitùs abeſſe debeat, radicitùs exſtirpandum jubet, quacunque id fieri poſſit ratione. Si incipiens adhùc eſt, aut arenoſus, aut in parte, ad quam tàm medicamenta, quàm inſtrumenta penetrare poſſunt, ibique non firmiter adhæreat, ſed liber ſit, viresque conſtent, facile erit præſtitu: ſin minùs, ſenſim ſenſimque amotio ſuſcipienda.

PRÆSERVATORIA cauſis calculi obviam venit, earumque medelæ vel ablationi ſtudet, dùm vel viam ad exitum præclivi parat, ſive id fiat ipſum comminuendo, ſive partium, per quas tranſiturus eſt, latera lubricando, lævigando, ampliando: vel, ne generetur iterùm, recrementa ♀rea per conſvetas & ordinarias & extraordinarias vias eliminat: vel & viciſſim generandi repullulationem prohibet.

VITALIS virium invigilat cuſtodiæ, impeditque, ne illæ ſymptomatibus, quibus affligere ſolet calculoſus morbus, ſuccumbant. Eapropter dolori maximè in calculoſos debacchanti, omnesque furoris habenas ſæpè quaſi effundendi obviam procedit, ſimulque huic, illi, iſti viſceri labaſcenti fert ſuppetias.

CAPUT XV

præſidia chirurgica & quidem generalia in calculoſorum ſubſidium adducit.

QVod urbem expugnaturi blanditiis alliciendo, commercia cum aliis præcludendo, obſidione cingendo, & nihil, quod citra

tra vim apertam, ad obſequium eandem invitare poſſet, omittendo præſtare intendunt, id ſanè ſubindè medicus imitari poterit; imò cogitur, quando medicamentis mitioribus citra ullam corporis cruentationem morbum adgreditur oppugnandum. Mitiori verò viâ cùm nihil proficitur, oppugnatores ad tormenta, machinas fulmineas, baliſtas deſcendunt, iisque, ut urbs palmam ſibi victoribus porrigat, compellunt fortiter: pariter & morborum colluctatores indulgentiâ ſuâ nihil vel parum effici cùm vident, ad generoſiora progrediuntur præſidia, chirurgica inſtrumenta ad manus ſumendo, quorum vi vim morbi repellere allaborant.

Locum hîc inveniunt operationes chirurgicæ, tùm extra paroxyſmum, tùm in paroxyſmô; utrobique vel mitigationis, vel curationis ſcopo: extra paroxyſmum tamen etiam præſervandi intentione.

Primô locô ſeſe offert princeps alioqui præſidium, VENÆSECTIO, quæ an locum hîc inveniat? disquirendum.

Ut brevibus rem expediamus, calculum de ſe ſangvinis è venâ miſſionem poſcere minimè arbitramur, ſiquidem hujus beneficiô auferri non poterit. Dari tamen quosdam caſus, in quibus ejusdem fuerit neceſſitas, non inficiamur. Proindè dicimus (1.) in præſervatione calculi, ubi non rarò ♀ in ſangvine fluitans ob circularem ſangvinis motum alicubi impeditum vel nimis tardigradum ſtagnationem & coagulum minatur, cui ſangvinis ventilatione, V. S.one factâ, obviam iri poterit, maximè, cùm benigna natura ſæpè in nephriticis hæmorrhoidum apertionem cum maximô eorum emolumentô inſtituat, juxta *aph. 11. ſect. 6.* (2.) in corporibus plethoricis & aliàs, ubi metus inflammationis adeſt, eandem V. S. cum fructu arceri. Adſtipulantur his (3.) practicorum celeberrimorum, *Solenandri ſect. 1. conſil. 15. 16. 17. Jul. Cæſ. Claudini reſponſ. & conſult. 7. Laz. River. pr. lib. 14. cap. 1. Charletonis, B. Rolfincii,* aliorumque obſervationes.

Virium tamen ratio maximè, tùm & *corporis habitus*, aliaque, niſi neceſſitas urgeat, ſedulò ſimul ſunt attendenda, & juxta hæc *copia* emittendi ſangvinis metienda..

Locum deſignat ipſa pars adfecta, quæ utplurimùm oppoſita & remotior, magisque turgens eligi à practicis ſolet.

Quodſi verò eandem inſtituere prohibeamur, ſangvinis tamen miſſio neceſſaria judicetur, CUCURBITULARUM ſcarificatarum applicatio ſubſtituenda, quâ ſenſim, quod in illâ confertim licet, efficitur. Maximus quoque earundem aliàs eſt uſus ad calculi transpoſitionem è renibus in ureteres; & vicisſim ex ureteribus iterùm in renes. Adplicantur multâ cum flammâ ſiccæ, fortiterque hinc & indè ſurſum deorſum ducuntur, pro ratione circumſtantiarum.

HÆMORRHOIDUM apertio juxta *cit. aph. 11. lib. 6.* quoque confert, cujus rei egregium à ſe obſervatum exemplum refert *Hollerius in commentô.*

HIRUDINUM adplicatio pro venis hæmorrhoidalibus aliisve recludendis, maximè periodicæ hæmorrhoidum diluviei adſvetis, ubi ſectio prohibetur, erit accommoda.

A CAUTERIIS, VESICATORIIS & FONTICULIS niſi in præſervationis actu aliquid conferant auxilii, in curatione vix vel parum commodi expectandum eſt.

CAPUT XVI

remedia chirurgica ſpecialia, ſectionem ſcilicet, profert.

DUobus modis cum calculo colluctantibus operâ manuariâ ſuccurrimus: ſpeciatim ABLATIONE & TRANSPOSITIONE: utriusque *Galenus in arte cap. 87.* mentionem facit.

Ἀφαίρεσις, *ablatio*, vel potiùs juxta *Hornium microtechn. ſect. 1. ſ. 16.* ἐξαίρεσις, *extractio* ſive *exemtio* rei ſcilicet noxiæ, nuncupanda: calculum enim corpori eſſe ſuperfluum, in ſuperioribus jamdudum fuit negatum.

Μετάθεσις, *translatio* ſive *transpoſitio* locum invenit, ubi calculus vel naturæ, vel medicamentorum virtute, vel incongruo corporis motu è pelvi in ureteres deſcendit, dolorumque atrocitate inibi deſævit; nec non, ubi veſicæ collum obſidet, urinæque tranſitum denegat.

 Ἐξαί-

Ἐξαίρεσις calculi renalis, mediante ſectione, totius celeberri-morum medicorum chori ſuffragiô, cenſetur impoſſibilis; *Rouſſeto* verò, qui *tract. de partu Cæſ. ſect. 3. cap. 7. & 8.* plauſibilibus admodùm rationibus adductus, inſigniter eam extollit & commendat, brevitatis ſtudio, non noſtris; ſed *Tulpii*, quæ habet *lib. 4. cap. 27.* habet, verbis, reſpondemus, ibidem viſendis. Quibus accedit, quòd, ſpecioſa licet aſſertio videatur, experientiâ tamen & felici ſucceſſu cùm deſtituatur, parum apud cordatiores fidei mereatur.

Calculus autem in veſicâ urinariâ latitans, magnus ſatis atque durus, qui vix aut ne vix quidem medicamentis obſequium præſtat, quin abrasâ ejus mucagine dolores potiùs duplicat, talem exſpectat exemtionem. Ad hanc, tanquam ad ſacram anchoram, confugiendum eſt; hanc non raró ægri ſummis efflagitant precibus.

Artem hanc ſecandi ſi ipſe calleat medicus, peritusque deſit chirurgus, exercere, ægrumque è Libitinæ faucibus eripere non detrectet; ſin minus, juramentum Hippocratis, quod calculum ſecare prohibet, ad ſe ſpectare ſciat. Peritum tamen ipſum oportet eſſe anatomes ipſiusque adminiſtrationis: Dedecori enim eſſet domino, ea, quæ ſervum oportet facere, neſcire. Exemplum tamen *audaculi*, fabri ferrarii, ſectionem à lithotomô jam bis perpeſſi, ſibi ipſi fratris ope cultello calculum ovô gallinaceô majorem præcidentis, digitisque eximentis habet *Tulpius lib. 4. obſerv. 30.*

Proceſſum ipſum, qui quatuor principalibus actibus: *exploratione, ſectione, extractione* ipsâ & vulneris *conſolidatione* abſolvitur: quem tamen cùm nullus ferè celebriorum chirurgorum ſcriptis ſuis mandare prætererit, repetere ſuperſedemus, B. L. ad *B. Rolfincii lib. 9. conſult. Barbetti chirurgiam part. 1. cap. 26. Hornii microt. ſect. 2. part. 1. §. 21. Schulteti armament. chirurg.* & *alios* remittentes: intereà tamen in ſingulô actu occurrentia notatu digniora non prætermittemus.

Explorationem calculi, digitis ano immiſſis, factam, ceu ipsâ ſectione crudeliorem & ſummè periculoſam damnat *Hornius* locô jam citatô, aliâ proin viâ ſcrutinium tale inſtituendum.

Can-

Candoris pleniſſima eſt *Tulpii lib. 3. obſ. cap. 5.* admonitio, nulli ut operæ parcant in indagando calculo chirurgi, nec uni ſoli inſtrumento tentativo nimiùm fidant; ſed omnia diligenter perpendant, an fortè calculus fibris quibusdam veſicæ ſit inſertus firmiùs, an ſitus & conformatio veſicæ ſ. n., an p. n. ſe habeant: niſi ægrum miſerè peſſundare, artemque ſuam glorioſiſſimam reddere malint ingloriam.

Hinc ſaluberrimo conſilio Pariſini non omnibus promiſcuè; ſed dexterioribus ac probè exercitatis operationem iſthanc concedunt: undè factum, ut lithotomorum plurimi ad ungvem calculorum magnitudinem, numerum & figuram ante ſectionem indicare valuerint: quam ipſam ſolertiam in iisdem admiratur *Excell. Bartholinus cent. 5. hiſt. anatom. obſ. 57.*

PRÆPARATIO AD SECTIONEM conſiſtit in commodâ diætâ, in quâ *Celſus lib. 7. cap. 26.* modicos & ſalubres cibos, minimeque glutinoſos aſſumere & aquam bibere jubet: accurata quoque alvi & veſicæ depletio neceſſaria eſt.

ÆTAS potiſſimùm tenerior ſectioni magis eſt accommoda; ſed nec ſenes ſexagenarii, quin octogenarii quoque ſectionem hanc ſalvi & incolumes evaſerunt, quâ de re *Septalius lib. 7. animadverſ. 126.*

SEXUS ratione magnùm quoque occurrit ſectionis diſcrimen. In fœmineô namque cùm brevius ſit & amplius veſicæ collum, ſectio ſæpè non eſt neceſſaria, & ſufficiente ſaltim pro calculi mole orificii veſicæ vel ſine, vel cum vulnere, dilatatione, totum interdùm negotium abſolvitur. Ita calculum ℥iij. cum ʒij. ſpontè excretum ab anu 89. annorum memorat *Tulpius lib. 3. obſerv. 7.*

Calculus in urethram quocunque modô detruſus, ſi moras ducat, urinam impediat, & prodire foràs recuſet, vel factô vulnere eximendus, vel ſubtili hanc ad exemtionem parato forcipe integer extrahendus, aut confractus fruſtulatim educendus. Dolorifica licet & horroris plena hæc operatio ſit calculoſis; attamen pluribus vicibus eam inſtituit *Nob. Dn. D. Præſes* cum emolumento ægrotantium.

ANNI TEMPUS quidam vernum, quidam autumnale eli-

gunt, niſi neceſſitas urgeat aliud. Quidam Planetarum adſpectus obſervant juxta Ptolemæi maximam: membrum ferro ne percutito, ☽â ſignum, membro illi præfectum, occupante. Cavent itaque ☽am in ♎ vel ♏, nec non ☌ & □ ☽ cum ♄ vel ♂.

Sectioni prætereà commodiſſimi ſunt, qui firmis & conſiſtentibus adhùc viribus ſunt, & abſente cachecticâ vel ſcorbuticâ corporis conſtitutione, dolores calculoſos aliquandiù perpetiendo habitum quaſi contraxerunt, & quibus ipſi perpetuitate ſuâ minores facti videntur, ut pars iisdem quaſi ſit adſveta: in talibus enim & patientia ſectionis erit major, & inflammatio minùs metuenda.

Poſt operationem, *Celſi conſilio*, ſangvinis, arcendæ inflammationis ergò, fluxus aliquantiſper eſt concedendus; ſi nimius ſit, ſupprimendus. Hinc artis legibus deligatio & conſolidatio diligenter & legitimè adminiſtrata ſufficiet.

Teſticuli calculus negotium ſi faceſſat & curam urgeat, inſtrumentorum ope, ſi extùs hæreat, ejus ablatio tentanda; ſin minùs ſucceſſuram hanc animadvertamus, aut calculus in viſceribus teſticuli latitet, ipſius teſticuli exſectio erit tentanda, quæ optima erit hujus medela.

Aliarum partium, ad quas vel non, vel cum præſentaneô graviſſimorum ſymptomatum, calculis ipſis graviorum, metu, ut in partibus glanduloſis, nervoſis, tendinoſis, vaſis item majoribus, datur aditus, calculos adgredi temerarium eſt facinus, à quô meritò abſtinendum.

Caput XVII,

calculi tranſpoſitionem ſuadet.

Maximè μετάθεσις & perſæpè eſt neceſſaria, quando in anguſtias vel propriô pondere, vel medicamentorum vi, vel naturæ, moleſtum ſibi expellendi conatu calculus eſt detruſus, ibique graviſſimorum tormentorum patrator exiſtit.

Locum frequentiſſimè invenit hæc in renali & veſicali lapide: minùs in aliis partibus, tùm, quod dubia valdè & incognita ejus præſentia, tùm, quòd inſtrumentorum aut medicamentorum virtus eò non pertingere queat.

Quan-

Quando itaque calculus *in infundibulo* ſive pelvis infimô, quod in ureteres deſinit, vel in his ipſis hæret, ſi mole exiguus ſit & lævis, ut per ureteres tranſire poſſit, promovetur medicamentis tùm internis, tùm externis; interdùm & cucurbitulâ cum multâ flammâ renum regioni applicitâ & verſùs inferiora tractu productâ: ſin grandior, vel nimis ſcaber & anguloſus, & ſubſidendo in pelvim urinæ tranſitum neget, vel eâdem cucurbitulâ, vel inverſione & concuſſione corporis, ejusdem in renem reductio tentanda.

Quando *veſicæ collum obſidet*, exitumque lotio præcludit, ſupinus æger locandus, vel cruribus ſursùm elevatis agitatione factâ, in veſicæ cavitatem compellendus.

Quando *in urethrâ hæret*, quatuor modis removeri poteſt, quos recenſet *Tulpius lib. 3. cap. 8.* ſcalpellô, uncô, ſuctu, inflatione: è quibus, maximè, ſi calculus olivæ vel dactyli nucleum non excedat, ſuctionem maximoperè commendat, & exempli locô hiſtoriam veſicæ calculi ſolâ ſuctione ad ipſam urethram attracti, hinc ſectione extracti, ſubnectit. Suis quoque laudibus in parvô calculô ſine inciſione ex ipsâ veſicâ per inflatum ſpiritum extrahendo non caret Ægyptiorum mos, à *Tulpiô locô jam cit.* recenſitus.

Idem tamen ſcopus non raro potu liberaliùs hauſtô & urinâ vi aliquandiù detentâ & pòſt confertim & cum impetu propulsâ obtinetur.

Caput XIIX

fontem pharmaceuticum pandit, ex eoque lenientia, purgantia, & vomitoria promit.

QVemadmodùm ſcintilla gliſcens, pabula ſufficientia nondùm adepta, levi operâ reſtingvitur; igni verò longè lateque ſerpenti & ædificia depaſcenti compedes injicere impetumque ejus compeſcere, hoc opus, hic labor eſt; ita parili ratione calculo naſcenti

& adhùc in fieri, ſi mentis humanæ ſagacitas eò penetrare poſſet, facillimô negotiô obviam iri poſſet: nunc verò incrementa adeptus & manifeſtus factus, diætetica ſola, tanquàm leviora, eludit remedia; hinc vi armatâ exturbandus.

Arma talia largiſſimô penu ſuppeditat PHARMACIA, quæ & ipſa quidem efficaciſſima non ſolùm præſervando, ſed & curando, quantum quidem ab eâ ſperari poteſt, calculo præſidia parat.

Utrumque, ſed & diverſô modô & cæteris paribus præſtant *lenientia, præparantia* & *purgantia:* præſervando quidem tutiùs & efficacius, quia recrementa ♀rea in corpore congeſta eliminant, maſſamque ſangvinis ab iisdem liberant: curandi autem ſcopô circumſpectiùs, remiſſiùs & lentiùs, nec niſi feriantibus calculorum inſultibus, ubique tamen vel appropriantia, vel appropriata adhibenda.

Inter PRÆPARANTIA excellunt cumprimis *♀rea* & *⦶oſa*, aliaque vi abſtergendi prædita, quibus *Martialia* & *antimonialia*, tanquam egregia deoppilativa, poſſunt intertexi. Et propinantur utplurimùm vel *ſolidâ* pulveris & pilularum; vel *mediâ*, conditi, boli, electuarii; vel *liquidâ*, potionis formâ.

℞. *pulv. diatart. ſolut. Rulandi* ℈j.
♀ri ⊕lati.
croc. ♂ ſacchar. an. gr. v.
⊖ *juniperin. gr.* iiij.
M. D. In chartâ. S. Sonderlich Digeſtiv-Pulver.

℞. ∇ *fragorum, ononid. an.* ℥ß.
Tinct. ♂ pomatæ,
♀ri an. gr. xvj.
malvat. juniper. ℥ j.
M. D. S. Digeſtiv-Tränckléin auff 1. mahl.

Inter LENIENTIA palmam tenet *terebinthina*, quæ tùm *Galeni*, tùm aliorum elogio eſt commendatiſſima; item *caſſia*, propter inſignem renes mundandi, ♀ream ſaburram abſtergendi, coagulumque calculorum κολλῶδες & bituminoſum diſſolvendi virtutem verè balſamicam.

Maximam hæc merentur laudem & uſum habent egregium, quæ tàm ſabulo, partes urinæ ſecretorias jam onerante, quàm calculo jam facto, nondùm verò penitùs indurato, viam parant ad exitum; non enim fortioribus hîc locus concedendus.

Lau-

Laudem talem reportat & tanquam ſecretum commendatur *electuarium lenitivum Burrhi*, quod ſine ullô tormine & moleſtiâ, viriúmve jacturâ expectationi ſatisfaciet. Potio quoque laxativa *B. Rolfincii meth.-comm. lib.5. ſect. 1. cap. 24.* deſcripta commendabilis eſt. Vel:

℞. *hepat. rubr. Dreſd.* ℈ j. ⊖ *digeſt. Sylv.* ℈ß.
⊖ *geniſt. gr.* vj. *elæoſacch. juniper. gr.* xij.
M. D. S. Digerir-Saltz / uff 2. mahl.

Pilulæ nephriticæ Deckeri not. ad prax. Barb. lib. 4. cap. 8. item *Tilemanni de mat. med. p. 214.* de terebinthinâ *B. Rolfincii meth. med. comm. lib. 9. ſect. 4. cap. 3.* Cratonis ab *eodem tract. de purg. ſect. 14. artic. 2. cap. 4.* Mynſichti *p. 151.* deſcriptæ, encomio ſuo non ſunt defraudandæ.

PURGANTIA propriè dicta (1.) in principio magis præſervandi, quàm curandi fine; (2.) nec, niſi ubi vel alvus rebellior mitioribus non obedit, & quidem (3.) extra paroxyſmum danda. Talia eſſe poſſunt:

℞. *gialap. reſinoſi gr.* xviij. ⊖ *juniperin. gr.* vj.
⊖ *lis digeſtiv. ex* ☹ *poſt deſtillationem* ♈ *✱ci par.* ℈ß.
M. F. pulvis pro unâ doſi, cum hauſtu cereviſiæ calidæ cum butyrô & pane ſumendus.

Sic pro re natâ aliâ atque aliâ ratione tùm materia medicamenti, tùm forma variari poterit, quorum farraginem practicorum volumina exhibent.

CLYSTERES locum inveniunt, quatenùs inteſtina eluunt, &, ne flatuum recrementorumque copia malum nephriticum cyſticumque augeat, prohibent. Doloribus etiam à calculo obortis præſentaneam non rarò præſtant operam, calculumque in inteſtinis, craſſis præſertim, ſive ibidem genitum, ſive eò delatum, fortè latentem, infeſtant & educere moliuntur. Major hinc apparet & præſentior eorum virtus, ubi calculus ipſa inteſtina habet, ſi ex lithontripticis meris cum leviter ſtimulantibus conſtent; minor longè & ſæpè imaginaria, calculo renes veſicamve occupante: nulla enim ibi inter lithontripticorum vapores, calculum vix ferientes, & ſolidum durumque ejusdem corpus proportio. Quin ſi quid profeciſſe viſi ſunt, demulcendo ſaltim viciniam, palpumque

quaſi obtrudendo factum, idemque affectus à non lithontribis fuiſſet expectandus.

Formularum, ſcopis hiſce ſatisfacientium, coacervationis operâ nos levarunt *B. Rolfincius l.c. Mynſicht. armament. ſect. 32.* & alii, qui plurima habent paradigmata. Vel:

℞. *herb. chamomill. c. tot.* Mij.
malv.
althaeae,
violar. an. Mj.
ſummit. melilot.
chamom. roman. a. Mß.
rad. althaeae,
petroſelin.
bryon. noſtr. an. ℥ß.
ſem. lini,
fœnigraec. an. ℥ j.
aniſ. ʒij.
Coq. in *ſ. q.* ▽ *fontan.* Colatur. ℔ j. adde
electuar. bened. laxat.
diaphœnic. an. ℥ß.
ol. lil. albor. chamaemel. anethin. an. ℥ß.
⊖ ♀*ri* ʒß. f. l. a. Clyſter, tepidè injiciendus.

VOMITORIA nùm in calculo conducant, litigatur inter Autores. *Angelus Sala* teſtatur, ſe nephriticos dolores citò fugaviſſe *ſale* ⊕*li* & ☿*rio vitae*. *Alii* naturae conatum in nauſeâ & vomitu praetendunt. *Verùm* hi vomitus ſolùm ſymptomaticos eſſe, quibus non fidendum, in propatulo eſt. Tutius videtur à talibus, imò etiam mitioribus, abſtinere, ne natura, quae aliàs proclivis eſt ad vomitus, magis turbetur, niſi quis in ipſâ curatione, cùm in ureteribus haereat ad veſicam tendens lapis, & alia nihil efficiant, ſuffragio *Barthol. cent. 1. epiſt. 55.* idem praeſtare credat ☿ium vitae, quod ad pellendum fœtum, vehementi nempè corporis commotione & muſculorum abdominis compreſſione. Si opus ergò videantur, ſequentia parari & propinari poterunt.

℞. *conſervae viol.* ♂*tiar.*
acetoſ. hiſp. a. ʒj.
lapid. ♋ *ppt.* ℈ß.
☿*rii vit.* gr. ij.
M. f. l. a. bolus.

℞. *cryſt.* ♀*ri,*
ſpecif. nephrit. D. D. Praeſ.
an. ℈ß.
♀*ri emet. Mynſ.* gr. iij.
M. S. Brechpülverlein.

CAPUT

CAPUT XIX

diaphoreticorum facit mentionem.

DIAPHORETICA quidem ſeri vel ſtagnantis, vel ſegnioris aliaque ſangvinis vitia corrigunt, cordisque & ſangvineæ maſſæ ἔκλαμψιν inſigniter promovent: quoniam tamen ſerum illud à ſecretoriis ſuis vaſis potiſſimùm, ubi copia non abundat, ad corporis ambitum divertunt, ſicque naturæ conatum impediunt, in curationis actu hîc parùm promittunt emolumenti.

Dantur tamen caſus, in quibus eorum inſignis elucèſcit dignitas & neceſſitas, nimirùm (1.) ubi renum vel aliarum partium ob calculum impendet inflammatio, ubi præternaturalem ſangvinis exagitationem efficaciter emendare & compeſcere valent: quô in caſu fixiora & quæ magis ſunt terrea, convenient, qualia ſunt: *C. C. phil. & △e apert. calc. C. alces, ebur, bolus armen. terra ſigillat.* &c.

℞. *C. C. phil. ppt.*
ebor. phil. ppt. an. ℈ß.
antimonii diaphor. gr. xvj.
ſpec. diatr. ſand. gr. xiij.
M. f. pulvis pro 2. doſibus. S. Schwitz-pulver.

(2.) præſervationis gratiâ, quando maſſâ ſangvinea ſegnior ob recrementa ♀ea coagulabilia inibi natantia ſubindè in circulo ſuo retardatur & ſtagnat, eandem vigorantia ſunt exhibenda. Sic

℞. *Tinct. bez. Michael.* ʒß.
eſſent. myrrh. balſam. ℈j.
elix. camphor. gr. vj.
In vitrô. D.S. Schwitzmixtur auff 2. mahl/mit warmen Wein zu nehmen.

℞. *miſt. ſimplic.* ʒß.
ſpir. juniper. ʒß.
M. In vitro. S. Schweißtreibender Spiritus uff 1. mahl.

CAPUT XX
diuretica & lithontriptica contemplatur.

QVemadmodùm calculorum morbus laneô pede venit, ferreô lædit, piceo recedit: ita medicum certè circumſpectum arguit concinna & legitima diureticorum & lithontripticorum adminiſtratio: quippe in quâ curationis ferè totius cardo vertitur potiſſimùm.

Multi multa coacervarunt & in diureticorum, quæ tamen vix aut admodùm raró talia ſe præſtitére, claſſem transſcripſerunt. Dies nos deficeret, ſi omnibus recenſendis, nedùm examinandis, locare vellemus operam, undè operoſæ eorundem enarrationi, brevitatis ſtudio, ſuperſedentes, ſingulorum illorum cenſuram petenti *Nobil. D. Daniel. Ludovici pharmaciam, moderno ſeculo applicandam, tit. de diureticis* &c. ſedulò revolvendam, ſvademus: genuinum verò utrorumque, diureticorum & lithontripticorum adminiſtrandi ordinem & uſum fusè & nervosè perſequitur *Hofmannus in meth. med. Wal. lib. 1. cap. 12.*

Diſcrimen diureticorum & lithontripticorum in anteceſſum notamus, quòd illa blanda & mitiora lithontriptica; hæc fortiora intimiorique ſtimulo inſtructa: illa virtutem ſolùm abſterſivam & aperitivam magis exſerunt; hæc ſimul impellunt & irritant.

Diuretica, uti conſtat, bini ſunt generis: *propriè* & *impropriè* dicta: *hæc* agunt ſolùm vel abſtergendo, vel mediocriter ſtimulando, ſangvinem [illegible]tando & fundendo; *illa* ſimul pellendo: imò quædam illorum tantùm pellunt, & ad ſangvinem usque ſolicitant, ut *cantharides, ſcarabæi* &c.

Lithontriptica diſpeſcuntur in ea, quæ (1.) maſſæ ſabuloſæ ſe immiſcendo coagulationem impediunt; (2.) calculoſam ſaburram ſolùm eluunt & abſtergunt; (3.) calculum ipſum findunt & ſcindunt; (4.) quæ eundem ſimul pellunt.

Singulorum claſſes, operandique modos & adplicationem eleganter proſecutus eſt *Excell. Dn. D. Wedelius, tract. de medic. facult. tit. de diureticis & lithontripticis.* Con-

Conſideratis è ſuperioribus principiis calculi conſtitutivis, (1.) parte ▽eâ ſ. relollaceâ, (2.) ſalinâ, (3.) glutinosâ 🜍reâ, bitumen æmulante, facilè in lithontripticorum ſive principia hæc deſtruentium, ſingulorum operandi modum ſelectum & adminiſtrationem legitimam devenire poſſumus.

Principio 🜍reo compingenti bellum indicunt (1.) *ſalia*, tùm Acida, 🜍 illud deſtruendo & pervertendo; hinc ↜ ⊖, ⦶li, ✻ci acidus convenit; maximè omnium id præſtant ⦶ oſa potentiſſimè & κατ' ἐξοχὴν, inprimis ↜ ⦶ *dulcis, Sylvio lib. 1. prax. cap. 45. §. 14.* judice. Sic & ▽ ♆ experimento *Borrichii epiſt. Bartholin. cent. 4. epiſt. 76.* calculum microcoſmi ſolvit in mucilaginem. *Alii ligni ſambucini*, dum germinare incipiunt, menſe Aprili, fruſta excavant, ſale communi infarciunt, utrinque obturant cuneô betulinô, furno, ut unà torreantur, imponunt, pulveriſant, & manè ſingulo ʒß. in vehiculo commodo propinant; tùm Alcalia ſ. *fixa*, ſ. *volatilia*, ipſum ſibi aſſociando & ſecum educendo, ut ⊖*lia plantarum, lap.* ♋. ⚻ ⊡*oſi*, ⊖ ♀ri *volat.*&c.

(2.) *Ipſa* 🜍*ea & oleoſa balſamica*, maximè ſtimulis ſalinis in receſſu prædita, *melicratum, hydromel, mulſum* vel *vinum generoſum* cum 🝆 *amygd. dulc.* vel *communi* propinatum, quod calculum ſatis grandem in arenam ſolviſſe creditur, ſolvendo ſcilicet compagem illam, ut 🜍 in 🝆 communi, vel ſaccharum in aquâ. Hùc pertinet etiam *juniperus*; item *virga aurea*, quam ad calculum maximoperè commendat *Barclajus in euphormione ſatyricô pag. 51.* Item: *amygdala, opobalſamum, balſamum Peruvianum* &c.

Terreum & ⊖inum principium peſſundant (1.) ▽*ea*, partis 🜍reæ cum reliquis compaginationem diſſolventi: ſic à nullô aliô, quàm ▽â corticum fabarum levamen ſentire ſe profitetur *Barthol. cent. 1. epiſt. 55.* item: *fraga, eorumque* ▽*a* ab aliis laudantur. (2.) *mucoſa & viſcoſa*, ut *fœniculum, glycyrrhiza, malva, althæa, linaria* &c. (3.) ▽ea, ⊖ illud calculoſum iners reddentia, & ejus conjugium cum 🜍re ſolventia, qualia ſunt *lapid.* ♋. *nephriticus, judaicus, lyncis* &c. quorum tamen uſum in viſcerum obſtructionibus fruſtraneum hiſtoriâ confirmat *Bartholinus cent. 4. epiſt. 18.* Celebre eſt *magiſterium lithontripticum Excell. Dn. D. Volckameri*

meri, Phyſici Norinbergenſis famigeratiſſimi, ex lapidibus pretioſis aliisque paratum, cujus virtus in paucâ doſi tàm in curatione, quàm præſervatione maximi eſt momenti.

Ex hiſce & ſimilibus *miſta* ſatisfacient expectationi. Sic *ſemen dauci cereviſiâ* in primâ fermentatione infuſum, calculum, verbis *Barthol. cent. 3. epiſt. 80.* frangit, antequàm concreſcat & augeatur in renibus, qui deindè durior & grandior factus potiùs pertranſeuntes viarum anguſtias frangit, quàm ipſe ullo lithontriptico frangatur. Rem hanc experimento confirmat *Helmontius de lithiaſ. cap. 1.* & ex eô *Charleton de lith. ſect. 2. cap. 3.*

Graminis radices & *herbam* in calculo præſertim biliariô, quovis modô uſurpata, mirificè commendat *Sylvius* & experimentô comprobat in *praxi lib. 1. cap. 45. §. 13.* & alibi.

Proſunt etiam *mitiora* ſive impropriè dicta, & *fortiora* diuretica tùm præſervandi, tùm curandi intentione: præſervandi ſcopo ſalubre eſt menſtruô ſpatiô vel ampliùs ſemel aut bis, corpore priùs convenienter expurgatô, eadem exhibere; quin, ut duo parietes unâ fideliâ dealbentur, non incongruè ⊖ia plantarum ſpecificarum purgantibus admiſcere ſolent medici. Et hinc ipſa terebinthina, quæ utrumque cum ἐυφορίᾳ καὶ ἐνεργείᾳ præſtat, huic propoſito explendo tantoperè eſt commendanda.

Calculi, præſertim grandioris aut aſperioris, præſentis cura cùm ſuſcipienda venit, ne, fortioribus qui propellere conatur, ægrum præſentaneo exponat periculo atrociſſimisque ſymptomatibus, caveat. Proindè mitiora, utpote magis, tuta eligenda. Et quidem è compoſitis lithôntripticis ſelectioribus & ſecretioribus laudandum venit ⊖ □*a microcoſm. cum ſucco limonum coagulatum*, Angli cujusdam 100. aureis divenditum arcanum. Simul & laudatur *Pauli de Sorbait*, Medici Cæſarei, *arcanum lithontripticum* à *Molitore de thermis artificialibus 7. min. planetarum cap. 9. quæſt. 5.*

Plurima quoque formularum paradigmata *magiſtralia* & *alia* exhibet deſideranti aurea *methodus medicinæ commentatoria Rolfinciana, lib. 9. ſect. 4.* & aliorum practicorum volumina, ideòque operæ tali lubentes ſuperſedemus.

CAPUT

CAPUT XXI

particulariter evacuantia tangit.

TAnta hiſce in calculorum curatione debetur dignitas, quanta eorundem ſæpè contingit neceſſitas.

Deprædicanda veniunt tùm ubi præſervandi, tùm ubi curandi eſt intentio.

Quemadmodùm autem ſolitæ variarum partium excretiones intermiſſæ aut neglectæ calculorum inibi generationi patrocinari poſſunt; ita, ut decenti naturæ fiant ordine, omnis opera danda. Et caput, ipſique vicinas partes purgamentis ſtagnantibus preſſas cùm obſervamus, ne ſeneſcant, errhinis, ptarmicis, apophlegmatiſmis, gargariſmis & ſimilibus ſuccurrendum & evacuatio per competentia loca molienda.

Sin geniti jam calculi in membris ad caput ſpectantibus adſint indicia, aut ſolida eorundem ſuſpicio, non minor habetur talium medicaminum efficacia, modò non tàm altas habeant fibrarum radices, partibus iſtis intertextas, à quibus tunc non niſi vi & ſummô graviſſimorum ſymptomatum metu divelli poterunt.

Paradigmata horum ex emollientibus, lubricantibus parari poterunt, pro ratione circumſtantiarum varianda. Laudantur inter hæc, quæ ſimul aromaticâ & balſamicâ roſcidâ, caput blandè feriente, ſpiritusque vigorante gaudent virtute, qualia eſſe poſſunt RADICES: *ariſtolochiæ rotund. calam. arom. caryophyllat. cyperi rotundi, fœnic. galang. iridis, pimpinell. valerianæ* &c. HERBÆ: *abroton. capill.* ♀, *heder.* ▽*ſtr. hyperic. naſturt. verbena,* &c. FRUCTUS: *juniper. amygdal. amar. lauri, cardamom.* &c.

Ex his parari poterit v. gr. *pulvis ſternutatorius* ſequens:

℞. *radic. ir. Florent.* ʒß.	*fl. lil. convall.* p. iij.
ariſt. rotund.	*cardamom.* gr. vj.
galang.	*ambræ gryſ.* gr. iij.
valerian. ã. ℈ß.	M. f. l. a. pulvis, pro plurib. doſ.

Caput XXII

ab alterantibus & confortantibus auxilium petit.

MOrbus calculoſus uti à ſiniſtrâ viſcerum craſi ducit ortum, eaque non rarò diris excruciat modis: ſic &, ſi horum beneficio, ne quicquam, undè ægro ſpes alicujus ſubſidii eluceſcere queat, omittatur, vindicatum ipſum ab hiſce tormentis eat medicus, non erit inglorius.

Commendant eadem ſeſe in lithiaſi modis variis. Ita in lapillis cephalicis, cardiacis, hepaticis, ſpleneticis &c. medicaminibus partibus his, materiâ lapidosâ gravatis & labaſcentibus, ut tonus ſeu robur earum ſuſtineatur, ipſæque hoſti ſuo verè duro contrà ire poſſint audentiores, convenientibus ſuccurrendum.

Sic non in renum & veſicæ modò, ſed & cujusvis ferè partis calculo univerſalis quaſi alterantis vicem ſubire poteſt *electuarium* à *B. Rolfincio, epitom. cognoſc. & curand. part. corp. aff. lib.3. cap. 19. p.312.* deſcriptum.

Neque minorem opem promittunt ægrotantibus *decocta, pulveres, electuaria, tragemata* partibus variis ſimul roborandis dicata, progenieique calculoſæ adverſa, cruditates emendantia, & coagulum prohibentia. Paradigmata varia deſumi poterunt ex *B. Rolfincii method. med. ſpecial. comm. lib. 9. ſect. 4. cap. 1.* & alibi. Sic & *theriaca*, inprimis iis, qui à potu ▽æ paluſtris cauſam calculi contraxerunt, tanquàm egregium alterans & confortans, noxamque ſimul pellens, ab aliis laudatur.

Caput XXIII

calculoſorum ſymptomatibus occurrit.

VAriis lapidoſum morbum expertos tentari tormentis, ex anteà dictis ſufficienter conſtat. Ne verò ægri penitùs ſupprimantur,

tur, ſed, quàm diu propter vires licebit, ſuſtententur, nihil intentatum relinquere debet medicus, ſi velit ægrorum ſalutis avidus haberi.

Uti verò, quod ad nauſeam usque dictum à nobis, aliarum, exceptis renibus & veſicâ, partium calculi utplurimùm cognitu ſunt obſcuri; ita & ſymptomatibus, ab iisdem oriundis, obſcuris tamen, vix alia opponi poterunt remedia, quàm dubia, & fortè in caſſum tentanda. Superſedentes itaque labori huic, ſolùm addimus, quòd ſicubi fortè calculi ſit ſuſpicio, remediis, quibus ſymptomatibus obviam ire intendimus, lithontriptica & parti adpropriata eſſe miſcenda, & exin, quem præſtent effectum, ſedulò obſervandum.

Cumprimis jam *ſymptomatibus à renum & veſicæ* calculis oriri ſolitis in præſens occurrere, nobis erit curæ. Affligunt autem alia calculo adhùc germinante, alia jam facto, alia utrinque. Eminet inprimis

I. *Dolor impenſus*, tantus ſæpè, quô non crudelior alter, quem tanquàm Hectorem nemo meliùs, quàm Achilles, OPIUM, debellare novit. Plurima ex hoc operationis felicitate ſe commendant præparata, quæ inter excellit *B. Michaelis* à *Deckero not. ad prax. Barbett. lib. 4. cap. 8.* deſcriptum *laudanum urinarium*, ante decubitũ ad gr. xv. xx. xxv. ſumtũ, vel, ſi res urgeat, quôvis tempore.

Vires nondum ſatis laudati *laudani opiati*, hujusque operationis modum & adminiſtrationem legitimam vide ſis uberiùs *in chimiâ in artis formam redactâ B. Rolfincii*; item *in opiologiâ Dn. D. Wedelii lib. 2. ſect. 2. cap. 6.*

Eundem in finem *Nobiliſſ. D. Ludovici, pharmac. mod. ſec. adplic. pag. 669. Tincturam anodynam* commendat, cujus guttas x. xij. vel xv. noctu datas plus, quàm integra remediorum vulgò opponendorum phalanx, præſtare aſſerit.

Eſt tamen & *mitioribus*, paregoricis dictis, ſubindè locus, tùm *externis*, quorum caput 25. mentionem faciet; tùm *internis*, quale inter alia eſt *decoctum Foreſti* ad dolores nephriticos, quod incantamenti adinſtar dolorem ſæpenumerò ſuſtuliſſe deprædicat.

Palmam tamen huic dubiam reddunt à *B. Rolf. meth. med. comm. l. c.* propoſita tàm decocta, quàm formulæ aliæ.

Sic & *butyrum recens* non ſalitum, *ol. amygdal. dulc. chamæmel.* &c. decoctum *hordei cum paſſulis, glycyrrhiza & viol.* &c. Item: *diacodium crocatum Mynſ. p. 251.* deſcript. & alia, laude minimè carent ſuâ. Item: *emulſiones è ſem. 4. frigid. maj. & minor. papav. lithoſpermi, amygdal. dulc. c.* ▽*is appropriat.* paratæ utilitatibus ſuis minimè deſtituuntur.

His ipſis remediis, quibus dolori ferocienti ponimus obicem, duos parietes dealbamus unâ quaſi ex fideliâ, dùm ſimul

2. *vigiliis*, individuis ferè dolorum ſociis, occurrimus, unâque operâ eaſdem demulcemus. Hinc ſupervacaneum erit, ſingulariter de iiſdem ut loquamur denuò.

3. *lipothymiis*, calculoſos tortores non rarò comitantibus, nunc ſpirituoſis; ▽ *apopl. cinnamomi borraginat. roſarum*, &c. nunc cordialibus: *confectione alkermes, de hyacintho* &c. nunc ſalinis, & quidem modò acidis, ut *acet. ſive ſimplic. ſive rutac. bezoard.* &c. modò alcalinis & ☐oſis, ⌒ ✱*ci, C. C. eboris* & *ſimilibus*, pro re natâ & ſymptomatum naturâ, obviam iri poterit.

4. *ulceri renum* vel *veſicæ* commoda erit potio *Rolfinciana meth. comm. lib. 9. ſect. 4. cap. 5. num. 6.* deſcripta.

5. *ardori urinæ* & *ſtranguriæ* ſuccurrunt ab eodem *loco cit. cap. 8. & 10.* delineata remedia.

6. *Vomitus* optimè compeſcitur *anodynis* & *nervinis* tùm internis, tùm externis. Inter *interna* locum merentur nobilem *anodyna* & *nervina*, quæ conjuncta faciliùs ſcopum attingunt. Externa balſamica eſſe poſſunt:

℞. *ſpir. menth.*
lil. convall. ana ℥ j.
ꝏ *anthos* gt. xv.
citri,
aurantior. a. gt. x.
M. l. a. f. liquor balſamicus, inungendus ſcrobiculo cord. & ventriculi pro lubitu.

℞. ꝏ *ſcorpion. Matthiol.* ℥ß.
juniper. deſt. ʒß.
balſ. ♀*ris c.* ꝏ *hyoſcyami. parat.* ℈ j.
petrolei gt. xxv.
f. l. a. linimentum, renum regioni inungendum.

7. Similibus *ſtupori femorum* occurritur, à quibus eximium ipſis levamen creatur.

8. *Iſchuriam* à calculo, juxta *quoſdam*, tollit *hauſtus vini*, cui bona

bona pars urinæ puerorum permiſta. *Alii membranam ovi* coli circa glandem circumvolutam, relicto anteriùs foramine, laudant. *Mindererus med. milit. cap. 10.* commendat *ſeminis lithoſpermi pulverem ad* ℥ß. in vino vel brodiô carnis ſumtum.

9. In *mictu cruento* conveniunt *pulv. fl. conſol. regal. ad* ʒj, cum ▽ vel *decocto petroſelini* calidè bibitus: potui quotidiano *thlaſpi* inditum, vel ▽ *thlaſpios* manè & veſperi ad ℥ij. vel iij. bibita. Item commendantur *cuminum hortenſe, ſem. malvæ, cucurbit. oryzæ,* &c.

10. *Alvi conſtipatio* nonnunquàm clyſteribus, nonnunquàm decoctis vel infuſis laxativis mitigatur & corrigitur, quæ in calculoſis talibus conſtitutionibus præ ſiccioribus formulis laudem majorem merentur, ob hypochondriacam utplurimùm conjunctam affectionem, ſiquidem in ſubſidium vocata præſentaneum interdùm præſtant levamen & emolumentum.

Plura ſymptomata, quæ cum hypochondriacis communia ſunt, adducere, in præſens ſuperſedemus, eorum ſublationem ex affectus hypochondriaci curatione petendam ſvadentes.

CAPUT XXIV

anodyna interna memorat.

TAntus tamq; acutus nonnunquàm dolor eſt calculoſos miſerè terebrans, ceu dictum, ut ſibi peculiarem ſumat indicationem, dùm ſui mitigationem poſtulat. Succurri poterit eidem promtâ manu medici per anodyna interna.

Inter hæc celebre ſatis eſt OPIUM, cujus virtus egregia per medicamenta varia, ad normas regularum chimicarum decenter præparata, indies nobilior evadit. Indicata jam varia ſunt antecedente capite.

Inſuper ſatis commodè opiata, & ex his parata anodyna medicamina aliis cujuscunque formæ lithontripticis & ſpecificis miſceri poterunt, ex voto medici & emolumento ægrotantium.

℞. *lapid.* ♋. *ppt. magiſt. piſolith.* a. ℈ß. *anodyn.* gr. iij.
M. D. in chartâ. S. Lindernd Pülverlein.

 ℞. *Tin-*

℞. *Tinct. anodyn.* gt. vj.
malvat. junip.
℥ß.

▽ *chamomill. Rom.* ℥ß.
In vitro D. S. Schmertz-ſtillend Träncklein.

Verumenimverò, circumſpectè ſunt talia propinanda, &, niſi calculi ſitus, locus & ejus cruciatus probè obſerventur, non adhibenda. Sæpè enim fruſtrati ſunt hâc ſuâ intentione medici; hinc tutius nonnunquam eſt, planè ab iisdem abſtinere, quàm ægrotantes magis turbare.

CAPUT XXV
externa anodyna & alterantia ſvadet.

EXTERNA in vulgus quidem nota ſunt remedia, attamen inprimis hîc maximam merentur laudem, ſiquidem præter dolorẽ demulcendi virtutem, obtinent ſimul alterativam. Omnibus verò cùm tentanda ſit ſalus, externis etiam obviam ibimus calculorum doloribus, & partibus ab iisdem preſſis, ne aliquid omiſiſſe videamur, quod opem ferre potuerit.

Primum locum obtinent FOTUS, qui moderatâ humectatione & calore poros cutis penetrando, ſubjectasque & dolore occupatas demulcendo, emolliendo & laxando, exoptatum præſtant auxilium.

Materiam conſtituunt præcipuè *emollientes* & *laxantes* plantæ, quibus nephriticæ admiſceri poterunt. Nec inconveniens erit, *reliquias illius decocti*, quod clyſterem conſtituit, recipere, aut herbas integras ſiccatas vel recentes, ſi temp9 ferat, ſacculo exceptas lineô in ▽ *ſimplici*, *cerviſiâ ſecundariâ* aut *lacte* ſive *vaccino* ſive *caprillo* decoquere, & tepidas adhuc loco dolenti adplicare, atque pro lubitu impoſitionem repetere.

Sin talibus non obediant ſymptomata hæc, ad BALNEA confugiendum, in eaque ægrotantes ducendi. Laudat *Aretæus balneum ex oleô*. *Trallianus* commendat poſt medicamenta *balneum aquæ dulcis*, moderatè calidum, cui addi poſſunt plantæ, tùm emolliendi & laxandi vi præditæ, e. g. *malva*, *parietar.*, *althea*, *Mer-*

curial.

curial. violar. chamæmelum noſtras & Romanum, melilot. branc. urſin. lil. alb. ſem. lin. fœn. græc. &c. tùm lithontripticæ, e. g. *petroſel. ſaxifrag. alb. juniper. baccæ,* &c.

Nec inconveniens erit, ægrotanti, in ipsô balneô jam ſedenti, ex conſilio *Unzeri* aliquod propinare indicationibus urgentibus reſpondens medicamentum, quale eſſe poterit *ol. amygd. dulc.* cum hauſtu vini calidi.

INUNCTIONES *per linimenta* penes hæc commendantur, quæ cuti illita, non leve adferunt lenimentum, triſtem terebrationem leniendo, dolorumque ferociam ſedando. Talia præparata proſtant in officinis ex *althæâ, melilotô, roſis, lil. albis, chamæm. ſcorpionibus, pingvedinibusq́; volatilium* &c.

Inunctis taliter locis dolentibus, eadem CATAPLASMATIBUS muniri & foveri poterunt ex *farinâ fœni græci cum ſangvine cervinô* ſubactâ; Item cataplaſmate *Cratonis ex cancris vivis*, aut *medullâ panis triticei cum lacte coctâ* & ſimilibus.

Qui laminæ plumbeæ regioni renum adplicandæ aliquid præter refrigerandi vim tribuunt, videant, quomodò defendant. Nos neque characteribus fidimus aut ſigillis; ſed Dei gratiæ, quâ medicamina optatum & felicem ſortiuntur effectum.

Inſuper, quæ jam propoſita ſunt externa, locum etiam invenient in cyſtidis biliariæ calculo propellendo, hypochondrio dextro adplicata. Siqui hæreant in faucibus, gargariſmate ex prædictis emollientibus erunt mitigandi. Reliquis ab his incerta erit medela.

CAPUT XXVI
cum diætâ rivos tractationis claudit.

NOn minori laude mactandus venit, qui calamitatem ex alterius inſidiis alteri mpendentem eminùs præſentiens ipſum, ut rerum ſuarum ſatagat, ſalutiq́ ſuæ conſulat, præmonet; quàm, qui eundem fortunæ infeſtæ iras jam ſentientem ejusdem faucibus eriqit, vitamq́ quaſi & incolumitatem ei reddit.

Magnâ proin condigni gratiâ ſunt reputandi ſanitatis cuſtodes, morborumque colluctatores, Medici, qui, quò mortales Morbonæ jugo, non tantùm id excutiendo, corrumpendo & diſcerpendo, liberent; ſed &, quî devitari & immunitas ab eôdem præſtari poſſit, ſalubria ſuppeditando conſilia, ſumma faciunt omnia.

Supereſt poſtremò, poſtquàm remedia pharmaceutica calculo vi quaſi exturbando ſervientia fusè ſatis produximus, ut, quî eundem vel planè non admittere, vel jam præſentem refrenare legitimo rerum, quarum inevitabilis nunquam non intercedit nobis neceſſitas, uſu queamus, breviſſimis adnectamus. Et quidem

AER ei, quem ſuprà *cap.6.p.30.* de non naturalibus cauſis calculo generando accommodum diximus, ſit contrarius, & quidem ratione habitûs ad corpus ἀναπνοῇ καὶ διαχωρήσει tùm inſpirationi, tùm perſpirationi ſit aptus, ſcilicet in qualitatibus ſecundis tenuis, purus: inprimis verò temperatus ac placidus. Talis ſi non ſit, arte concilietur, ac ſtudiosè conſervetur. Vitetur fœtidus aut alioqui ingratus, atomis calcariis, fumidis, metallicis infectus, coagulandi viribus pollens. Ita non rarò fabri murarii propter effluvia talia calcaria inſpiratione attracta tentantur calculis ſive tophis pulmonicis.

Quoniam verò & naturæ & morbi juxta *aph. 2. & 3. lib.3.* alii ad anni tempora, adde, eorumq; tempeſtates, & loca, & victûs genera benè maléve habent, magna hîc occurrit latitudo, eritq; opus, ut quivis ſeipſum diligenter exploret, quò aërem, à quô ſangvinis σύστασις & conſtitutio non parum pendet, ſuæ naturæ accommodum conciliare ſibi quisq; valeat.

Quoad tempeſtates, in quibus *juxta aph. 19. lib.3.* omnes quidem fiunt morbi; nonnulli tamen in quibusdam ipſarum magis tùm fiunt, tùm exacerbantur; ita *3. aph. 16.* ſiccitatibus στραγγουρίαι, frequentiſſimum ac ſatis pertinax, ob cauſam continentem, calculoſorum ſymptoma. Sic eædem inprimis autumno ſunt infeſtæ *aph. 22. l. c.* maximè omnium ſenibus, *aph.31.*

Quemadmodùm etiam æſtuans æſtatis tempore ſolis calor, diſſipando ſerum in corpore reſtitans, & parietes, quos tangit calculus, demulcens, lithiaſi affectus non adeò favere videtur; ita pluvioſæ vel alioquin humidiuſculæ cœli conſtitutiones λιθιῶσι morbum facere poſſunt tolerabiliorem. *Venti*

Venti quoque calculoſis moleſtiam creant majorem; nam *Aquiloniis* dominantibus □æ difficulter fiunt, *3. aph. 5.* quatenus corpora conſtipant, poros obſtruunt alvumq; ſiccant *3. aph. 17.* Ex adverſo autem *Eurus* effluviorum humidiuſculorum puritate, ſvaviq; cum ſangvine & ſpiritibus corporis noſtri amicitiâ & harmoniâ: & *Zephyrus* quatenus ſeri aquoſioris blandique in corpore proventum auget; eapropter eligant ſibi talia cubiculorum loca & conclavia, his expoſita. Cumprimis tamen corpus, maximè pectoris & abdominis regio ab externis aëris injuriis defendatur, muniendo ipſum è pelle leporinâ confectô pectorali, quod contra calculum à quibusdam laudatur.

CIBUS bonæ ſit notæ, magis humidus, quàm ſiccus, eâ quantitate ingeſtus, ne ventriculum gravet, aut langvorem corpori inducat.

Quoad ea, quæ vegetabilium claſſis ſuppeditat, alimenta, primô loco occurrit PANIS, qui probè ſit fermentatus, coctus, nec admodùm recens, è farinâ lapidum duriorum ope factâ, mediâ ſive flore, paratus. Recenſendum hîc eſt conſilium *Joh. Chryſoſt. Magneni, Democrit. reviviſc. diſp. 2. cap. 4. propoſit. 35.* quô, ne in arenoſis nata, quòd omnia è ſolô, ubi oriuntur, participent, ut & grumis lapidiformibus prædita, nephriticis inſultibus expoſiti attingant, ſvadet. *Verùm* cum granô ſalis accipiendum videtur, & ejus mens reſtringenda ſolùm ad ea, quæ ſucco ſimul auſtero & conſtringente turgent. Tantum enim abeſt, eam litare veritati ſententiam, quam vel totâ die pagana confutat experientia. Ita enim & baccæ juniperi, ſambuci, fructus cynosbati, paſſulæ majores, quin ipſi lapides cancr. & alia hujus comatis lithontriba in dubium eſſent vocanda.

Cibi leguminoſi, utpote flatulenti utplurimùm, parcâ manu porrigantur; ſiquidem aliquid dandum hîc videtur & vitæ generi & conſvetudini, *1. aph. 2.*

Ex oleribus *portulaca, endivia, aſparagi turiones, acetoſa hiſpanic. naſturtium, cochlearia* &c. laudes præ reliquis merentur. *Allii capita tria* conciſa vel fracta in hauſtu vini digeſta & bibita lithiaſin præcavere creduntur. *Herba petroſelini* cum totô, præſervationis intentioni frequenter cum cibis comeſta ſatisfacit.

Ex fructibus *nuces avellanas* commendat *Crato*. *Fructus cynosbati* vel *crudi*, probè tamen maturi & molles per ſe facti, cum acinis integri comeſti, vel *cum prunis* cocti & aromatibus conditi ſvave edulium præbent calculoſæ progeniei infeſtum. Sic *Norimbergenſes* inter bellaria numerant *fructus cynosbati*, quos ſummè maturos & à lapidibus purgatos, haſtulis ligneis transfigunt, poſteàque aniſi vel fœniculi ſemine probè conſpergunt, inque clibano exſiccari permittunt. Edulium eſt ad ventriculi & renum langvores emendandos aptiſſimum, *B.D.D.Schenck. diſſ.de fœnic. cap. 6*. *Baccæ juniperi* ſingulô manè *aliquot* comeſtæ præter alia commoda, plurimos à calculô immunes reddere creduntur.

Amimalium claſſis ſuggerit cibos lithiaſi infectis utiles. Sic *regulum avem*, tanquam ſpecificum calculorum domitorem autores commendant. Neque *turdus*, avium gloria prima, utpote juniperi baccis veſcens, encomiô tali defraudandus. Juſcula gallinarum, carniumque teneriorum aliarum, conveniunt: Item *ova tremula, ſorbilia*, conceduntur. *Lac* & *caſeus* vitentur. *Butyrum, ſerumque lactis, caprinum* præ reliquis, mitius merentur judicium.

E *piſcibus* admitti poſſunt, qui in aquis puris, dulcibus, arenoſis & ſaxoſis, non ſtagnantibus, degunt, quales ſunt *carpiones, lucii, gobii, truttæ* &c. Inprimis cenſum hunc ſubeunt *cancri*, qui ferè quanti quanti, maximè quà lapides, celeberrimum audiunt λιθοντρίϐον, nulli non ætati, regionive commodiſſimum.

In condimentis omnis exceſſus vitetur. Cibi ultra modum non ſaliantur; non ſalſus ſapor gratus eſt, ſed qui ſubdulcis.

POTUS. Apud nos quidem 🜄 ſimplex rarius in uſum venit, niſi quod ad cocturam expetatur. Undè diligenter explorandum, num tophi ferax ſit. Si talis, cocturâ depuretur.

Cerevиſia ſit pura, benè defecata, è bonæ notæ frumentis decenter præparata, verbô: notas & requiſita habeat omnia, quæ ſuperiùs recenſita.

Vinum, quod feculentias plurimas ſecum vehit, calculo & arthritidi accommodas, fugiendum. Vinum potens hîc nocens; contrà temperatum, ſanitati gratum. Dolendum hinc, laudabiliter monet *Chimiater excellentiſſimus, Dn. D. Tackius, in phaſi-*

dis ſophici chryſogoniâ animali & minerali p. 99., hodierno ſeculo, aquâ dilutum merum evileſcere cœpiſſe, in detrimentum mortalium, cùm ſic nocituri ſpiritus frangantur, feculentiæq́ rectiùs ad ureteres, mediante lymphâ deducantur, neq́ tàm citò coagulationi ſpiritus vini pareat, ſi ſit temperatus. Rationes prægnantes ibid. adductæ videri poterunt, & præſertim quam exempli locô profert, quòd ſilices ope 🜕 fixati & ▽S in 🝆tum reſoluti vino inſtillati, in momento coagulentur.

Alterari idem (quod & de cereviſiâ valet) poteſt & medicatum fieri *rad. helenii, pimpinell. ſaxifrag. fragar. ononid.* &c. Alii ſvadent, ſilices albiſſimos candefactos extingvendos in vino rhenano aut malvatico, de quo poſteà quôvis mane ad *cochl. j.* ſumendum.

SOMNUS & VIGILIÆ alternis vicibus pro naturæ legibus ſeſe excipiant; nullibi exceſſus concedendus. Leviùs tamen peccatur, inquit *B. Rolfincius lib. 9. conſil. 1.* ſomno indulgendo, quàm vigiliis. Sed *μηδὲν ἄγαν. Nequid nimis.*

MOTUS & QUIES limites non excedant. *Ille* enim & quieſcentem calculum locô movere, & crabrones, hinc difficulter iterùm quieturos, irritare poteſt. *Moderata* tamen deambulatio, vel alia levior corporis commotio, *ab Hippocr. 6. epidem. com. 1. t. 6.* calculoſis commendatur.

ANIMI PATHEMATIBUS vehementioribus, inprimis *iræ*, non indulgendum: *animi tranquillitas* omne fert punctum.

EXCRETORUM & RETENTORUM ratio habeatur diligentiſſimè. Et ut *ſummatim* omnia repetamus cum *Celſo lib. 4. cap. 13.* nervosè diætam calculoſorum deſcribente: *oportet conquieſcere: cubare molliter: ſolvere alvum: ſi aliter non reſpondet, etiam ducere: ſæpè deſidere in ▽ â calidâ: neque cibum, neq́ potionem frigidam aſſumere: abſtinere ab omnibus ſalſis, acribus, acidis, pomis: bibere liberaliter: adjicere modò cibo, modò potioni piper, porrum, ferulam, album papaver, quæ maximè indè ⊡am movere conſveverunt.*

Atque ſic colophonem imponimus, ex devoto corde agentes

DEO TER OPTIMO, TER MAXIMO
GRATIAS!

CLA-

CLARISSIMO
DNO HEINLINO,
Medicinæ Candidato eximio,
Amico dilectiſſimo,

felices porrò ſtudiorum progreſſus precatur,
deq́; exantlato hoc labore animitùs
gratulatur

PRÆSES.

TEmet ad antiquam virtutem animumque probatum
Hippocratis ſcriptis dum ſplendor ineſcat avitus
celsâ ſtans cathedrâ per prælia docta tueris,
quî, mirùm corpus dùm torquet calculus ægrum,
inſtitui cita, tuta queat jucundaque cura.
Gratulor his cœptis! preſsô pede digna ſequetur
fama, erit &, privi cùm te cruciatibus atris
ægri certabunt extollere honoribus amplis.
Adplaudit Phœbus dicens: HEINLINE, capeſſe,
quæ tibi purpurea ex bombyce tiara parata eſt!